Mee

FLORES MEDICINÆ THEORICÆ AC FRUCTUS MEDICINÆ PRACTICÆ

Necessarii ad diù vitam

PROLUNGANDAM,

Opus in duos Libros distributum

Ad bonum publicum.



Animat Exanimatos

ROMÆ 1726. Ex Typographia S. MICHAELIS ad Ripam:
Superiorum permissu,
ET PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS

Cui nam Operas has meas fugenti temporis, & Virium Jactura multoque labore, & sudore paratas in Lucem Edo ? Commodo Almæ Urbis mee Bonoque Publico.



Marchionis Antonij
Francisci a Giorij

BENEDICTO XIII.
P. O. M.

Catholicæ Eccleſiæ PASTORI Vigilantiſſimo;

Pauperum PATRI Amantiſſimo;

NOBILIUM FAUTORI Beneficentiſſimo;

Generis nobilitatis, omnigenæ ſcientiæ, heroicarum Virtutum omnium,

Indefeſſæ potiſſimùm Religionis, & Charitatis ſplendore,

Æquè, ac ſuprema Dignitate Clariſſimo;

Potentiſſimorum Principum Ingenii paterno, Sanctoque Amori

Concedentis ARBITRO

Pacis, ac Tranquillitatis totius Chriſtianæ

Reipublicæ meritiſſimo

apud Deum AUCTORI;

URBIS, & ORBIS DELICIIS;

Se, ſuoſque Medicinæ Flores, & Fructus

Humillimus inter ſubditos, & Filios

Ad SACROS PEDES devolutus

D. D. D.

Marchio Franciſcus Antonius Georius.

DE

DE Mandato Reverendissimi Patris Gregorii Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistri legi Librum, cujus titulus est *Flores Medicinæ Theoricæ*, *ac Fructus Medicinæ Praticæ*, ab Illustrissimo D. Marchione Francisco Antonio Georio in duos libros distributum in eo nihil reperi Religionis, ac bonis moribus dissonum, quare in lucem prodire poterit. Datum Romæ 29. Aprilis 1726.

Dominicus Gagliardi Medicinæ Professor.

DE

DE mandato Reverendissimi Patris Selleri Sacri Apostolici Palatii Magistri attentè observavi, *Flores Medicinæ Theoricæ*, & *Fructus Medicinæ practicæ* ab Illmo Domino Marchione Francisco Antonio Georio studio collecti, nihilque reperii, quod obstet morum candori, & Fidei integritati; Undè optantibus in antiquorum Schola, & juxta Galeni methodum erudiri solum, pro eorum commodo, possunt hujusmodi scripta typis mandari &c. Datum Romæ 1. Aprilis 1726.

Michael Angelus Paoli Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIII. *Archiater à segreto.*

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Nuntius Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

LE-

LECTORI SALUTEM.

D*EMONAX rogatus quando inceperat ratiocinari : cum memetipsum agnoscere ceperam respondebat . Putabat enim cum Socrate summum esse furorem, & dementiam superna inquirere, & aliena perscrutari, iis ignoratis, quæ ad nos pertinent . Sed heù ! ad quid tantum intendere, quę in nobis ad summum sunt accidentia, & pariunt laborem, & dolorem juxta sapientis authoritatem (prætermißa necessaria cognitione vitę propriæ ?) imò deperdito potissimo omnium temporalium bonorum maximo bono, quale est nostra salus ? Medicos juxtà Domini sententiam honorate propter necessitatem . Optima est ergo Medicinę professionis cognitio . Non indignati sunt perfecti Philosophi quamplures Principes, & Reges ipsi, ac sui ipsius incolumnita-*

tis notitiæ desiderio pellecti in ipso etiam armorum strepitu, tumultuque bellico diligenter rem medicam excoluerunt. MAGNUS ALEXANDER *sub Præceptore* ARISTOTELE *eam studiosè observabat. Ægiptiorum Reges Medicinam perlustrasse Historiarum monumentis proditum est. Et* MARCUS ANTONINUS ROMANORUM IMPERATOR, *item* BOETIUS, & PAULUS SERGIUS ROMÆ CONSULES *Medicinam didicerunt, ut prior tulit ętas, at demum* CONSTANTINUS AFER, *& totius Medicinę Artis illustrator, qui posteà fuit* VICTOR III. SUMMUS PONTIFEX. *Ex veterum igitur constat testimoniis, Artem hanc ab Illustrium Ordinum viris esse frequentatam, ac illustratam. Optimè igitur* HIPPOCRATES *loquitur artem esse longam, ac si dicere voluisset, multa posse addi, anteaquam ad summam perfectionem eßet perducta. Ast si nova Artis molimina minimè li-*

cerent;

cerent; satis amplum præmium feram, si ectori, haud ingratum accidat. Vale amice Lector, & meis hisce fruere, ac utere laboribus.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, Sicut dilectus filius Marchio Franciscus Antonius Georius Romanus Nobis nuper exponi fecit, ipse quemdam librum à Se elucubratum, cui titulus *Flores Medicinæ Theoricæ; & fructus Medicinæ praticæ &c.* Typis in Alma Urbe nostra noviter mandaverit, Seù mandare, & in lucem edere intendat, vereatur autem, ne postquam in lucem prodierit, alii, qui ex alieno labore lucrum querunt, librum præfatum iterùm imprimant, Seù imprimi current in ipsius Francisci Antonii præjudicium. Nos ejus indemnitati, ne ex impressione hujusmodi aliquod dispendium patiatur, providere, illumque Specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine quàvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequend. harum Serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Francisco Antonio, ut durante decennio à primæva dicti libri impressione computand., dummodo tamen à dilecto filio Magistro Sacri Palati nostri Apostolici prius approbatus fuerit, nemo tam in Urbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis Subiecto, librum prædictum, etiam sub prætextu additionum, neque additiones prædictas Separatim Sine Speciali dicti Francisci Antonii, aut ab eo causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impressum vendere, Seù venalem habere, aut proponere possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Inhibentes propterea utriusque Sexus Christifidelibus, præsertim librorum impressoribus, & Bibliopolis, Sub quingentorum Ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & Typorum omnium pro una Cameræ Nostræ Apostolicæ, & pro alia eidem Francisco Antonio, ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, & Judici exequenti irremissibilitèr applican., & eò ipso absque alia declaratione incurren. pœnis, ne dicto decennio durante librum præfatum, aut aliquam ejus partem, vel additiones præfatas Separatim tam in Urbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico præfatis Sine hujusmodi licentia imprimere, aut ab aliis impressum vendere, Seù venalem habere quoquo modo audeant, Seù præsumant. Mandantes propterea dilectis filiis Nostris, & Apostolicæ Sedis de Latere Legatis, Seù eorum Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Justitiæ Ministris Provinciarum, Ciuitatum terrarum, & locorum Status Nostri Eccle-

siasti-

ſiaſtici præfati, quatenus eidem Franciſco Antonio, seù ab eo cauſam haben. præfatis in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, quandocumque à memorato Franciſco Antonio fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſqumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur Non obſtan. Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis,ac quibuſvis Statutis, & conſuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innovatis, cæteriſque cotrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam in ipſo libro impreſsis, manu alicujus Notarii publici Subſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, Si forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Sub Annulo Piſcatoris, die IV. Julii MDCCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Tertio

F. Card. Oliverius.

FLO-

FLORES
MEDICINÆ THEORICÆ

Collecti Vigiliis, obstinatoque Studio

A FRANCISCO ANTONIO GEORIO, MARCHIONE, DOCTORE MEDICO

In Archi=Liceo Patavino,

Necnon in Romana Utriusque Juris Pallade.

SENECA

Nulla res dum incipit est consumata;

Sed mea incipit novo scribendi modo, fortasse non ingrato, & hactenus non viso.

LIBER PRIMUS.

SENECA

Nulla res consumata est dum incipit.

ET

Etiamsi omnia à veteribus inventa sunt, hoc semper novum erit, usus, & inventorum ab aliis scientia, & dispositio.

FLORES MEDICINÆ THEORICÆ. LIBER PRIMUS

I. De Medicina.

AB. 1. Altissimo manavit Medicina, Vir prudens non abhorrebit illam; abhorrentes verò illam. 2. citius, quàm Natura postularet, moriuntur. Porrò vita brevis. Medicina Artium præstantissima, quæ Adamo. 3. cum cœteris habitibus scientificis infusa fuit. 4. Non ineptè illam inventam fuisse ab Apolline, cecinere Ægyptii scriptores, quem cum Sole eumdem affirmabant; florum, & frugum parente. 5. Ab Æsculapio amplificatam, perfectam ab Hippocrate, Græci. 6. Artem. 7. Scientiam. 8. utramque dixeris, vel. 9. Neutram, bene dixeris. 10. Sororem dicamus Philosophiæ. 11. & præcipuam inter artes ægregias. Versatur. 12. circa Res salubres, insalubres, & medias. 13. à quibus definitur, humanæ sanitatis conservatrix, præservatrix, & restitutrix. 14. Scientia est, qua humani corporis affectiones dignoscuntur, quatenus sanum est, & à sanitate recedit: seù. 15. adjectio deficientium, & detractio excedentium. Physiologia, Hygiene, & Pathologia sint bases; cùi Dieta, Chirurgia, & Pharmagia ministrant.

Eccli. cap. 38. 2. Galenus lib. 1. de sanitate tuenda. 3. Divus Thomas par. prima quæst. 94. art. 3. 4. Plinius lib. 7. cap. 56. 5. Soran. in præfat. Isag. 6. Hippocrates lib. lex., Aristoteles, Galenus; 7. Galenus in Arte. Avicenna Fen. 1. cap. 1. 8. Plato. 9. Averrhoes initio cantic. 10. Tertullianus. 11. Plotinus. 12. Galenus in Arte. 13. Hippocrates lib. de Medico. 14. Avicenna Fen. 1. cap. 1. 15. Hippocrates lib. de flatibus, & aph. 22. Sect. 2.

II. De Medico.

MEdicus. 1. est Vir philosophus. 2. Naturæ minister. 3. ejusdem imitator. 4. inventor occasionis in morbo, ideò. 5. elegantius. 6. Vir excellens medendi peritus. 7. Si omnia fecerit, ut sanaret, peregit partes suas. 8. Non est in Medico semper, ut relevetur æger. Ejus objectum sit Corpus humanum, quatenus aut sanum, aut sanabile. Finis verò cum scopo confusus; sanitas, seù actionum integritas. 9. Experimentum rationi viam aperuit, methodus ampliavit; ratio confirmat, & percipit. 10. Hinc tres Medicorum sectæ, quarum (rejectis Empirica, & Methodica) optima est Dogmaticorum, quippe. 11. quæ rationi, & experientiæ, ut duabus cruribus innititur. 12. Herbarii, unguentarii, coqui, & venam secantes, Medicorum ministri habeantur.

1. *Hippocrates l. de nat. Galenus l. de placitis*. 2. *Hippocrates l. de populi morbis*. 3. *Hippocrates, Plato. Gal.* 4. *Plato*. 5. *Pindar. Pyth. od.* 4. *de Hesiodo*. 6. *Hippocrates lib. de decenti ornatu*. 7. *Seneca*. 8. *Ovidius*. 9. *Plinius*. 10. *Galenus de Sectis, & introd.* 11. *Galenus*. 12. *Galenus in lib. Epid. com.* 6.

III. De Phisiologia.

1. UBi desinit Physicus, ibi incipit Medicus. Ille naturam examinat. 2., ut principium motus, & quietis, seu. 3. generationis, & corruptionis: Medicus eamdem, ut compositum quid ex anima, & corpore, & quæ ipsis inserviunt. 4. Ejus cognitio omni Medico necessaria, qui rectè agere velit. 5. Natura ostendit artis Peritis, quæ facienda sunt. 6. ipsa erit morborum Medicatrix. 7. salutis hominum causa, omnia præstans. 8. cujus ideò magnus admirator fuit Hippocrates. 9. nihil enim frustra facit. 10. ea repugnante, omnia fiunt irrita. 11. Naturam quippe expellas furca, semper recurret. 12. ejus vires supplente consuetudine. 13. Illam constituunt, & conservant elementa, temperamenta, humores, spiritus, partes, facultates, & functiones: et ideò res naturales dicuntur, quæ, & Phisiologiam occupant.

1. *Aristoteles l.* 2. *Phisic. & lib.* 5. *met. cap.* 1. . 2. *Aristoteles*. 3. *Hippocrates l. de nat. Galenus in def. med.* 4. *Hippocrates l. de vet. Med.* 5. *Hippocrates l. de Arte n.* 12. 6. *Hippocrates l.* 6. *Epid.*

sect.

sect. 5. 7. Gal. com. 5. in l. 6. Epid. ex Plat. 8. Galenus l. 9. de placitis Hippocratis, & Platonis. 9. Galenus l. 1. de usu part. 10. Galenus post Hippocratem ex lege. 11. Horat. 12. Galenus l. 2. de motu musculorum. 13. Galenus lib. 1. & secundo method.

IV. De Elementis, & Temperamentis.

PRincipia considerant Physici rem corpoream: Medici sola elementa, seù. 1. minimam mixsti partem, rem sensibilem. 2. dicuntur corpora simplicia, ex quibus omnia constituuntur, & in quæ omnia resolvuntur. Hæc sincera in animalibus non dantur. 3. eorum tamen proportio sanitatem; excessus, aut defectus morbum creat. 4. An forma. 5. an solis qualitatibus illa insint mixtis, Medico inutile, Physico problema sit. 6. Quatuor primæ qualitates, quatuor elementa determinant, è quibus temperamentum exurgit. 7. seù forma mixsti. Sit itaque. 8. finis mixtionis, seu ad obeundas actiones unio congrua; secundum quam differunt ætas, sexus, regio, tempestas. 9. sed super omnia, sanitas. 10. Temperamentum ad pondus non datur, nec mole elementorum, nec paritate qualitatum. 11. ad justitiam maximè salubre est. 12. quod scilicet neque excedit, neque deficit; ideò moderatum. 13. Temperata hominem non lædunt. 14. animalium temperatissimum.

1. Aristoteles de Cælo. 2. Galenus lib. 1. de temper. 3. Galenus lib. 8. de Plac. Hippocratis, & Platonis. 4. Galenus, & Stoici, Fernelius. 5. Aristoteles. 6. Hippocrat. lib. 1. de nat. hum., & Galenus lib. 1. dum fac. natur. 7. Averrhoes. 8. Hippocrat. lib. 1. de nat. hum. Galenus lib. 8. de temp. 9. Galenus lib. 1. de temp. 10. Galenus lib. 1. de alim. fac. 11. Riolanus. 12. Plato. Avic. fen. 1. doct. c. 1. 13. Hippocrates l. de veteri Medicina, 14. Galenus lib. 1. de alim. fac.

V. De Humoribus.

1. EX humoribus natus est homo, ideò. 2. proxima sint ejus elementa. 3. Physicis analoga. 4. suis quæque dominantur partibus. 5. quorum inquisitio Medico valde necessaria est. Hos, vel coqui, vel putrescere oportet. 7. Atra bilis, quod neque concoctionem, neque maturationem perferat, læthales morbos facit: sint illi fluxiles substantiæ ex alimento genitæ. Alimentarii sunt sanguis, bilis, pituita, & succus melanchonicus; hi. 8. roris in-

ſtar decidentes, ut gluten, deinde, viciſsìm aſſimilantur. Excrementii vel quantitate ſola peccant, ut ſemen, & ſanguis menſtruus. 9. frivola animaliſ[illegible] Superbiſſimi origo: vel qualitate, qui rurſus interdum utiles; fel, limus, ſerum, interdum inutiles: ſudor, urina, ſtercus, trium coctionum reliquiæ. 10. Maſſæ ſanguineæ plurimum ineſt ſanguinis; bilis minimum; hinc dulcia amica vitæ. Sanguis ſincerus plus nutrit, quam cœteri humores: hi tamen nutriunt. Semen diffluit à toto, non mole, ſed viribus, formaliter, non materialiter.

1. *Hippocrates l. de nat. hum. Galen. l. 2. de elementis.* 2. *Galenus com. ad l. de nat. hum.* 3. *Galenus in introduct:* 4. *Hippocrates l. de morb.* 5. *Galenus l. de atra bile.* 6. *Galenus l. de cibis boni, & mali ſucci.* 7. *Hippocrates aphor. 22. ſec. 4. Galenus l. de atra bile.* 8. *Avicenna fen. 1. doct. 1. c. 4.* 9. *Plin. l. 7. cap. 7.* 10. *Avicenna.*

VI. De Spiritibus.

1. NAtivus calor. 2. calidum innatum. 3. anima Mundi, ſpirituſque, ſola differunt ratione. 4. Tandiù enim vivimus, quandiù calor eſt in nobis. 5. vitæ principium, & fons. Spiritus ſit. 6. corpus æthereum. 7. tenuiſſimum, calidiſſimum; in obeundis functionibus, præcipuum animæ inſtrumentum; quarum eſt. 8. cauſa, opifex, & effector, malorumque depulſor. 9. ingenioſè ideò dicitur vinculum animæ, & corporis: mole parvus, maximis eſt viribus; quare Jovis fulmini comparatur. 10. ejus potentià ſemina omnia prolifica ſunt. 11. Vitalis generatur in corde, animalis in cerebro; unus altero perfectior. 12. elementaris ſit. 13. an non, Phyſici diſputent; Medico ſit problema. 14. Innatum, viventis theſaurum cenſeamus, quippe ab initio. 15. partes ſingulas articulat, & conſervat: influentem verò innati cuſtodem, & continuum reparatorem. 16. ille ubi vult ſpirat. 17. igneus eſt illi vigor, & cæleſtis origo.

1. *Galen. l. 1. de tremore.* 2. *Fermelius phiſiolog. lib. 4. cap. 2.* 3. *Plato in Timæo.* 4. *Ariſtoteles.* 5. *Hippocrates, & Galenus l. 5. de ſimplic. med. f. c. 9.* 6. *Avicenna l. 11. de virib. cord. c. 2.* 7. *Galenus l. 3. de fac. nat. Avic. fen. 2. l. 1.* 8. *Hippocrates in Epid., & l. de flatib. Galen. l. 1. aph. cap. 15.* 9. *Alex. Aphrodiſæus in Problem,* 10. *Ariſtoteles l. 2. de gener. anim. 1. 3.*

11. *Gal. l.* 12. *meth. med.*, *Averrohes* 1. *coll.* 12. *Galen. in l.* 8. *aph. c.* 14. 15. *Plato in Timæo. Hippocrates l. de carnibus*, & *Avic. l.* 1. *de virib. cord.* 14. *Galen. l. de tremore*. 15. *Hippocrates l. de nat. hum.* 16. *Joan.* 3. 17. *Virgil. l.* 6. *Æneid.*

VII. De Partibus :

PArtes phisicæ dicuntur, quæ. 1. totum complent, integrant, & constituunt, quo sensu in. 2. continentes, contentas, & impetum facientes distinctæ sunt. Vulgò dividuntur in similares, & dissimilares, in quibus distinctio conquiescit. Medica pars sit. 3. corpus toti cohærens, communique vitæ conjunctum, ad illius functionem utrumque comparatum. Necessariæ aliæ sunt, ut Cor, hepar, pulmo, ventriculus: aliæ utiles, ut testes, oculi, manus, instrumentum sapientiæ: aliæ ad ornatum, ut cornua, barba: hæ tamen latiori tantum significatione partes sint, ut. 4. hominum ungues, bovum cornua: verius. 5. excrementa dicantur. Humani corporis partes amplissimas, artus scilicet, brachia cum manibus, cruraque cum pedibus; & ventres, caput, thoracem, & abdomen; hasque tanquam facultatum peculiarium domicilia speculet Anatomicus. Phisiologo præterea innotescant per omnia, os, cartilago, ligamentum, fibra, membrana, nervus, vena, arteria, caro, & cutis. 6. sensibilia hominis elementa. 7. Cor solus sit microcosmi Sol, & Princeps. 8. à quo cætera pendeant,

1. *Aristoteles Galen. l.* 1. *meth.* 2. *Hippocr. l.* 6. *Epid.* 8: 3. *Fernelius*. 4. *Galen.* 5. *Riolan. Phisiolog.* 6. *Galen. l.* 2. *de elem.*, & *l.* 1. *de fact. nat.* 7. *Arist. lib. de somno*, & *lib.* 3. *de partibus Animalium*, & *Galen. de usu partium l.* 6. *c.* 7. 8. *Homerus*.

VIII. De Facultatibus Animæ.

ANima sit forma corporis animati. 1. & principium facultatum corporis viventis; seù. 2. perfectio corporis organici potestate vitam habentis. Vegetativa est in plantis, Sensitiva in brutis, Rationalis in Hominibus. 3. Hæc ita differt à temperamento, ut faber à serra. 4. Aurigæ hæc comparatur, prior equis. 5. Formarum physicarum sit præstantissima, immortalitatis particeps: quas facultates. 6. Concupiscibilem, Irascibilem, & Ratiocinantem dicunt morales Philosophi. Has Medici. 7. naturalem, vitalem, & animalem nuncupant: sedibus distinctas, 8. in hepate scilicet,

Cor-

Corde, & cerebro. Naturalis tres habet ministras, nutricem, auctricem, & generatricem: illa iterum quatuor. 9. attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem; quibus reparatur triplicis substantiæ nostræ perennis dissipatio. Vitali inserviunt respiratrix, & pulsatoria. 10. Animalis facultas. 11. quæ à cerebro tanquam à Sole influit, fit sensiens, movens, & princeps. Sensus communis internus sit; externi quinque, visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. 12. quorum solus postremus absolutè necessarius est. Nervi molles sentiunt; duri moventur, vel spirituum transmissione, vel sola irradiatione. Cerebrum totum continet, memoriam, imaginationem, & ratiocinationem, quibus homo. 13. Animal consilii plenum, mirabile nuncupatur.

1. *Galenus* 1. *de nat. fac.* 2. *Aristoteles l.* 2. *de anima*. 3. *Galenus lib.* 2. *de præcogn. expuls.* 4. *Galen. de placitis*. 5. *Aristoteles lib.* 2. *de anima textu* 29. 6. *Plato lib.* 4., *&* 5. *de Pop. Galen. lib.* 5. *de placitis*. 8. *Galenus comm.* 4. *in lib.* 1. *Prob. textu* 5. 9. *Avicenna fen.* 1. *doct.* 6. *cap.* 2. 10. *Hosman. inst. lib.* 2. *c.* 151. 11. *Galen. lib.* 1. *de loco aff.* 12. *Galen. lib.* 1. *de sympt. caus. cap.* 5. 13. *Plato, Cicero, & Plinius*

IX. De *Functionibus*.

UT facultates ab Anima procedunt, ita functiones à facultatibus: quarum. 1. motus sunt ad operandum. 2. Nutritio est repletio vacuati, seù conversio alimenti in substantiam viventis. Ejus appetentia necessaria est. Sicci fames, humidi sitis nuncupatur. Utraque duplex naturalis omnibus partibus convenit, animalis stomacho. 3. Coctione omnia fiunt in homine; chilificatio in ventriculo, sanguificatio in venoso, & arterioso genere; assimilatio in partibus. Accretio corporum, in omnem dimensionem proventus. 4. fit maximè ab humido. 5. hinc pueri, & fœminæ Viris citius crescunt. Decrescunt viventia humidi radicalis defectu; sic ergo ætas consistens, & media inter augumentum, & decrementum. Gigantum extensio, Nanorum contractio naturalis quidem, sanitati, tamen minus commoda est; nullis regionibus, aut gentibus familiaris. Genitricem vim vocant Philosophi formarum dispensatricem, & naturam maturantem. Sit in homine. 7. productio viventis à vivente, seminis, & sanguinis menstrui ope; à quibus genitura, embrion, fætus. Fæminæ ut testes, sic & semen habent; sicut humidius, ita impotentius. Conceptionis locus sit ute-

rus

rus, primum hominis domicilium: præter naturam ejusdem tuba. Seminis retentio sola conceptionem non efficit, sed. 8. retenti ad actum promotio. Superfœtatio leporibus familiaris, naturam excedere videtur: aliquando tamen in mulieribus contingit, & interdum quibusdam etiam familiaris est.

1. Aristotel. Galen. lib. 1. de loc. affect. 2. Galen. 3. Aristotel. lib. 4. meteor. 4. Galen. lib. de optima constitutione corp. 5. Hippocr. lib. 6. Epid. 6. Avicenna. 7. Galen., & 2. de fact. nat. 8. Avicenna, & Fernelius.

X. *De rebus non naturalibus.* *De Aere.*

UT homo rebus naturalibus conservatur, sic iis destruitur, quæ sunt præter naturam. Inter illas dantur mediæ, & indifferentes; benè utentibus bonæ, malè utentibus malæ. 1. ideò res salubres, seu non naturales dictæ: scilicet aer ambiens, cibus, & potus, somnus, & vigilia, labor, & quies, excreta, & retenta, animi pathemata. 2. Harum usu moderato conservatur sanitas: immoderato morbus invadit. 3. Aerem inspiratu, & perspiratu continenter attrahimus. 4. ideo purus eligendus est. 5. nullis inquinamentis infectus, sed liber. 6. & ventis salubribus perflatus. 7. Septentrionalis meridionali salubrior; & orientalis occidentali. Asiani molles sunt, & imbelles, quod perflentur Austro. 8. Loca palustria sunt nocentissima. 9. In emendo agro salubritatem cæli commendabat in primis Varro; hæc est aeris ratio.

1. Galen. lib. de Arte c. 83., & 87. 2. Cicero de offic. lib. 2. 3. Galen. de util. respir. 4. Avicenna fen. 2. doct. in cap. 3., & 5. Plato de leg. 6. Aristotel. 7. de Polit. cap. 2. 7. Hippocrates lib. 1. de Arte. 8. Galen. lib. 1. de sanitate tuenda. Columel. lib. 2. de re rustica cap. 3. 9. Varro lib. 1. de re rustica cap. 5.

XI. *De Potu, & Cibo.*

TRiplicis. 1. substantiæ nostræ perennem jacturam Natura reparare tentat; spiritosam aere inspirato, &. 2. odoribus; solidam cibo, humidam potu: cujus. 3. præcipuum est opus. 4. Aquæ potus purissimus censeatur, . 5. si colore, odore, sapore non peccet. 6. Vinum petitis, & Nilum habetis, objurgabat meritò Pescennius Imperator suis militibus. Fontana, fluvialis, putealis, & stagnans, sa-

lu-

lubritatis designatione scriptæ sunt. 8. quarum Medicus valde sit solicitus. 9. Xytho utuntur, qui vinum non habent; præparationis varietate magis, minusve salubri. Pomaceum pirraceo salubrius: vino tamen cedat. 10. cardiacorum optimo, &. 11. Medicinæ salutari. Alimenta præstant, quæ optimum habent succum. 12. coquuntur facile, & citò distribuuntur. Quæ sitim pariunt naturam evertunt. Panis saliginus sit optimus. Legumina flatus gignunt. Fructus parum nutriunt, & citò corrumpuntur. Avium carnes quam quadrupedum salubriores, horum quam piscium. Marinos laudant Medici supra fluviales, hos supra stagnantes.

1. *Galen. lib.* 1. *de sanit. tuen.* 2. *Avicen. fen.* 2. *doc.* 3. *tract.* 2. *c.* 8. 3. *Aristotel. in prob., & lib. de aere loc. &* 29. 3. 4. *Hippocr. lib.* 6. *epide. par.* 4. *aphor.* 13., *& Galen. lib.* 1. *de simpl. med. cap.* 4. 5. *Galen. lib. de ptisana.* 6. *Julius Capitolinus in Pescennio* 7. *Hippocr. l. de arte, & locis aff.* 8. *Hippocr.* 9. *Dioscorides lib.* 5. 10. *Galen. lib.* 3. *de alim. fac.* 11. *Galen. lib. Quod animi mores* 12. *Avicenna.*

XII. De Somno, & Vigilia.

Rerum 1. naturalium moderatio salubritatem efficit. 2. hinc somnus, & vigilia si modum excesserint malum. 3. Ille animalis facultatis quies est. 4. quo reparatur vigiliarum, atque laboris assidui dissipatio. 5. Omnes fluxiones sistit excepto sudore. 6. Ita differt somnus à sopore, ut sanitas à morbo. 7. Interdiù vigilandum, noctu dormiendum est; habeatur porrò ratio ætatis, tempestatis, & consuetudinis. 8. licet quippe meridianus, longis diebus. 9. Decubitus sit modo in unum, modo in alterum latus, corpore molliter inflexo. 10. Insomnia si fuerint gravia, morbum denotant; si levia. 11. humorem exuperantem: hinc. 12. aliquot mirabilia nuncupantur. 13. Somnus si contulerit, salutaris est: si laborem præstat, lethalis est: pueris, & senibus longior esse debet; his ut siccitas emendetur, coctio juvetur, & vires roborentur; illis ut furor immodicus sistatur.

1. *Galen.* 2. *Hippocrates lib.* 2. *aph.* 3. 3. *Galen. lib.* 2. *de sym caus.* 4. *Galen. lib.* 1. *de sympt. caus.* 5. *Galenus* 6. *Riolanus.* 7. *Hippocr. lib.* 2. *præsag. c.* 11. 8. *Celsus.* 9. *Hippocr. comm.* 1. *lib.* 1. *præs. c.* 5. 10. *Hipp. de insomniis.* 11. *Galen. lib. de præsag. ex insomn.* 12. *Hippocrat. lib.* 2. *aphor.* 1. 13. *Riolanus.*

XIII. De Motu, & Quiete.

1. MOtus violentus ſanitati adverſatur. 2. levis conducit, qui 3. exercitatio nuncupatur. 4. corporis ſcilicèt motus, quem anhelitus difficultas conſequitur. Ejus ars ab Antiquis, gymnaſtica dicta eſt: lucta, curſus, ſaltus, pilæ luſus, frictio præcipuè ſunt ſpecies: remigatio, aratio, oneris geſtatio, equitatio, venatio: manuum, aut vocis operatio, aliaque numerum augeant. 5. ſanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem. 6. Cibum minuere, & laborem augere ſalubre eſt. 7. Labores cibos præcedant. 8 Pernicioſa cenſetur poſt cibum motio. 9 Qui benè concoxit, mane tuto ſurgat: qui minimè, in lecto quieſcere debet, nec labori ſe, aut fatigationi cedere. 10. Gracilibus mitior, robuſtis validior competit exercitatio. 11. Labor, cibus, potus, ſomnus, venus omnia mediocra.

1. *Galen. lib. 2. de ſanit. tuen.* 2. *Galen. Ib. poſt Hippoc.* 3. *Mercurialis.* 4. *Galen. lib. 2. de ſanit. tuen.* 5. *Hippocr. lib. 6. epid. par. 4. aphor. 5.* 6. *Ariſtotel. ſect. 1. problem. 47.* 7. *Hippocr. lib. 6. Epid. par. 4. Galen. lib. 2. de ſanit. tuen.* 8. *Galen. lib. de cibis. bonis, & mali ſucci.* 9. *Delph. lib. 1. cap. 10.* 10. *Hippocr. de ſalubri dieta.* 11. *Hippocr. lib. 6. Epid. par. 6. aphor. 5.*

XIV. De Excretis, & Retentis.

1. SI excernenda retineantur, retinenda excernentur; fiunt morborum cauſæ. Alvi proluvies, lotium, & ſudor, poſtulante natura evacuentur. 2. quin & ipſa excrementa ſola quantitate peccantia, ſemen, & ſanguis menſtruus. Sit hic humor in utero contentus, nutriendo fœtui deſtinatus, alioquin ſtata periodo excernendus. Immoderata horum profluſio plùs nocet vitæ, quàm ſi eo plùs ſanguinis centies effluxiſſet. Hinc ſalacia animalia ſunt vitæ brevioris: paſſares avium ſalaciſſimi, vix duos annos excedunt; mares quia femellis ſalaciores, citiùs moriuntur. 3. In morbis corpus nutriatur, & non emacietur. 4. ab ipſa abſtineāt. 5. ſicci, frigidi, ſenes. 6. Vomere olim aſſuetum vèl bis in menſe. 7. at meliùs non vomere: ſubvertitur quippe ventriculus contra naturam, fumiſque repletur caput. Sordes, ſputum, muccus, cerumen, aliaquæ partium excrementa, diligentèr purgentur. 8. Ubi natura erit infirmior, medicamentis ſollicitetur.

1. *Galen. lib. de morbor. cauſ.* 2. *Galen. in arte medica.* 3. *Celſ. lib.* 1. *cap.* 1. 4. *Galen. lib.* 8. *de loc. affec. cap.* 9. 5. *Galen. lib.* 2. *de ſanitate tuenda* 6. *Hipprocrates lib. de inſomniis.* 7. *Galen. in* 3. *aphor.* 8. *Galenus*.

XV. De Animi Perturbationibus.

PAthemata. 1. ſeù perturbationes ſunt animi motus irrationales contrà naturam. 2. à Medicis inveſtigantur. 3. quatenùs corpus alterant, & à naturali ſtatu avertunt. 4. Peripatetici mediocritatem affectũm admittunt; quam ſequitur ſumma ſanitas, ideòque ſumma felicitas. 5. Ei non eſt cor ferreum, homoque cum ſit, nihil à ſe alienum putat; concupiſcit, iraſcitur. 6. nequè ideò in ſanitatem peccat: niſi cum violentèr, bonum, malumvè, ſeù præſens, ſeù futurum, aut appetit, aut abhorret. 7. Timor ſepè exanimavit, effuſumque gaudium. 8. ideò quidam ſunt adeò puſillanimi. 9. Spiritus triſtis exiccat oſſa. 10. Ira porrò omnium paſſionum eſt teterrima; illi, cæteriſque. 11. dominetur ſapiens; ut effreni equo ſeſſor; navique procellis agitatæ, gubernator: is ſolus fortis dicendus eſt.

1. *Galen. de decret. Plato, & Hippocr. lib.* 5. 2. *Hippocr. lib.* 6. *epid. par.* 3. *aph.* 29. 3. *Galen. in arte medica c.* 85. 4. *Ariſtotel.* 5. *Cicero* 6. *Galen.* 7. *Galen. lib.* 2. & 5. *de ſympt. cauſ.* 8. *Scherbius.* 9. *Salomon proverb.* 17. 10. *Ariſtotel. l.* 2. *problem.* 16. *Galen. lib.* 2. *de ſanit. tuen.* 11. *Plato in Phædro*.

XVI. De Morbis.

QUidquid. 1. humani corporis naturam evertit, morbus eſt, aut cauſa morbi, aut ſymptoma. 2. Morbus eſt effectus contrà naturam, actiones primò, & per ſe lędens: cui opponitur ſanitas, ſeù actionum integritas. 3. Similaris morbus, partium ſimilarium, vel intemperies eſt, vel occulta qualitas; organicus organicarum; communis verò ſoluta unitas. 4. Læditur organum numero, magnitudine, ſitu, & conformatione. 5. Solutio continui quinque habet differentias. 6. vulnus, ulcus, fracturam, luxationem, tumores præter naturam, Hi ſunt, vel ſimplices, vel compoſiti: Illi pro humorum ratione ſunt quadruplices: reſypela, phlegmon, œdema, & ſcirrhus. Cancer ab atra bile cenſeatur, ſicque inſanabilis. Aperiuntur vaſorum oſcula dilatatione, reſudatione, & eroſione.

1. Ga

1 *Galen. lib. 1. de sympt. caus. cap. 1.2. Galen. lib. 1. de sanit. tuen. c. 5. & lib. 1. de morb. 3. Galen. lib. 1. de usu part. 4. Galen. in arte cap. 97. §. Galen. l. 3. meth. 6. Galen. in arte cap. 90.*

XVII. De Morborum Differentiis.

1. Morbi quidam sunt primarii, seù idiopathici; ut epilepsia affecto cerebro; vel. 2. secundarii, ut eadem epilepsia orta à consentiente cerebro, vitiis ventriculi, lienis, uteri &c. Parvos morbos Medici nuncupant. 3. qui solius naturæ ope vincuntur; magnos demonstrant eorum essentia, partium præstantia, malignitas, & symptomatum gravitas 4. Acuti non sunt, qui celeritèr discutiuntur, ut febris diaria: sed ii. 5. qui plurimos homines citò necant: un causon, pleuritis, apoplexia. Simplices, & compositi. 6. mites, & maligni; adventitii, & hæreditarii. 7. communes, & dispersi Medico innotescant; precipuè Endemii, Epidemii. Contagium tribus modis serpit. 8. contactu, ut in scabie. 9. fomite relicto, ut in strumis, lue venerea; demum. 10. emissa virulentia, ut in pestilentibus febribus.

1. *Galen. 2. Galen. lib. 7. de usu part. c. 8. 3. Hippocr. lib. 6. Epid. c. 5. 4. Hippocr. lib. de arte 5. Hippocr. & Galen. lib. 2. Aphoris. comm. 23. 6. Galen. lib. 1. de rat. vict. in acutis cap. 8. 7. Galen. comm. 1. ad lib. 1. de vulgaribus morbis 8. Galen. lib. 1. de differ. febr. cap. 3. 9. Hippocr. lib. de Nat. hum. 10. Hippocr. de Nat. hum.*

XVIII. De Causis Morborum.

Omnia fiunt. 1. ex materia, per formam, ab efficiente aliquò fine. 2. Efficiens causa à Galeno præcipuè investigatur, utpotè quam Medicus auferre conatur. 3. Impossibile quippe est morborum vires investigare, illisque opitulari, nisi eorum causæ probè cognitæ sint. Externa ea est, vel interna. 4. illa in rerum non naturalium usu immoderato consistit. 5. Internæ sunt vel antecedentes. 6. Plethora, & Cacochymia. 7. Illa est omnium humorum redundantia; hæc alicujus tantùm à sanguine: illa ad quantitatem pertinet, hæc ad qualitatem: vel conjunctæ, quæ morbum immediatè faciunt. Harum exemplum est sanguis putridus, qui phlegmonem causat. Sex modis præcipuè causæ operantur: per se, & per accidens, actu, potentia, prius, posterius: universalitèr, singularitèr:

 di

disjunctivè, conjunctivè, proximè, remotè. Rhabarbarum calefacit per se, per accidens refrigerat: reducuntur morborum causæ ad innanitionem, repletionem, alterationem simplicem, & corruptelam.

1. *Plato in Timæo, Aristotel. lib. 2. Phys. 2. Galen. lib. 2. de caus. morb. 3. Hippocr. lib. 1. de morbis mulierum. 4. Galen. lib. de causis pro cathar. 5. Galen. in Defin. med. 6. Galen. lib. de plenit. c. 2. 7. Galen. de plenit. cap. 2. 8. Galen. lib. 1. de loc. affec. & comm. 3. ab 6. epidem.*

XIX. De Symptomatibus.

UT morbum causa præcedit. 1. sic eumdem symptomata subsequuntur, sicut umbra corpus. 2. Sint affectus contrà naturam à morbo producti: Interdum. 3. symptoma erit morbus, ut febris in pleuritide. Distinguuntur tum. 4. in signa pathognomonica, quæ omni morbo soli, & semper conveniunt: ut in pleuritide dolor lateris punctorius; febris assidua; difficilis respiratio, & tussis. tum in apparentia, quæ eidem adesse, vel abesse possunt, frequentèr tamèn adsunt: ut sputum cruentum; dolor ad claviculam; cum sint innumera reducantur. 5. ad actionem læsam. 6. immoderationem in excretis, & retentis, & . 7. qualitates præter naturam immutatas. 8. Actio imminutione, depravatione, aboletione læditur. Sic visus hebetatione minuitur; depravatur hallucinatione; cæcitate aboletur. 9. Dolor est sensatio tristis, & molesta, quæ ad actionem læsam pertinet; seù depravata sensatio. 10. Qui corporis dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.

1. *Galen. l. 2. meth. c. 3. & l. 2. aph. com. 13. 2. Galen. l. de sympt. diff. c. 1. 3. Galen. de cont. Art. c. 5. 4. Galen. lib. de const. art. 5. Galen. lib. 12. method. c. 2. 6. Galen. lib. de sympt. diff. cap. ultimo. 7. Galen. l. 1. meth. c. 8. 8. Galen. l. 3. de sympt. caus. c. 1. 9. Aver. 10. Galen.*

XX. De Signis.

QUidquid. 1. rem obscuram significat, signum est: Medicum erit si ad sanitatem, vel morbum pertineat: Diagnostica sunt, è quibus morbus integrè cognoscitur. 2. Prognostica; quæ eventum portendunt, salutem, vel mortem; sitnè morbus brevis, vel lon-

longus futurus &c. 3. Pulsus validus, vitalis facultatis robur demonstrat: cordis quippè motus est, & arteriarum. Delirium inflammationem cerebri aliquandò consequitur, ut in phrenitidè; aliquandò sanguinis atrabiliarii fervorem, ut in mania; aliquandò sanguinis crassitiem, & malignitatem, ut in melancholia. Urina ad diagnosin. 4. & prognosin plurimùm valet. 5. notentur ejus hypostases, suspensum, &. 6. nebula. 7. In fæcibus observentur quantitas, qualitas, locus, tempus, & motus. 8. sputa. 9. sudoresque à Medico investigentur. 10. sciat quippè nùm evacuationes symptomaticæ sint, nùm criticæ.

1. *Aristotel.* 2. *Galen. in art. med.* 3. *Galen. lib.* 4. *de diff. puls. c.* 2 4. *Hippocr. l.* 4. *de rat. vict. in acut. t.* 45. 5. *Hippocr. l.* 7. *aph.* 31. 6. *Hippoc. l.* 2. *de perf. cap.* 29. 36. 7. *Galen. lib.* 1. *progn. com.* 13. 8. *Galen. l.* 2. *prog. comm.* 43. 44. 45. *&c.* 9. *Aristotel. lib.* 3. *de part. anim.* 10. *Hippocr.*

XXI. De Crisibus.

CRisis. 1. est magna, & repentina in morbis mutatio, vèl ad salutem, vèl ad mortem. 2. præcipuè in acutis. Sit. 3. bona. 4. perfecta, fida, tuta, manifesta, & indicata. 5. Crisis si non sit perfecta, Medicus debet adjuvare. 6. nec ab ea, more vulgarium perterreri. Præstantissimus dies criticus sit septimus, ideò rex nùncupatur. 7. sicuti sextus tyrannus. Celebrantur posteà. 8. -- 14. -- 20. -- 40. & centesimus. Quartus index septimi. 9. Nulla tamèn ratione confirmari possunt critici dies. 10. Coctionis signa cætera superent. 11. Occasio præceps; ideò investigentur principium, incrementum, vigor, & declinatio quatuor morborum tempora. Desperatos non deserat Medicus; præterquàm quod enim natura sua habet miracula. 12. Præstat anceps experiri remedium, quàm nullum. 13. Nequè tamen sunt infirmanda præsidia, quæ pluribus possunt esse saluti; nevè videatur Medicus eum occidisse, quem sors ipsa perèmit, ideò.

1. *Hipp. l.* 1. *Epid. Gal. l.* 3. *de Cris. c.* 1. 2. *Galen. lib.* 2. *aph. cumm.* 3. 3. *Galen. l.* 4. *aph. com.* 22. 4 *Galen. l.* 2. *de dieb. decret c.* 2. 5. *Galen. l.* 1. *aph. comm.* 20. 6. *Gal. l.* 3. *de crisib. c.* 8. 7. *Galen. de dieb. decret. c.* 4. 8. *Hippocr. l.* 1. *Epid.* 9. *Aver.* 10. *Hippocr. l.* 1. *Epid, const.* 2, 11. *Hippocr.* 1. *aph.* 12. *Cels. l.* 3. *c.* 9, 13. *Galen.*

Appendix de Morte.

MOrs eſt . 1. animæ , & corporis copulæ diſſolutio . 2. Extinctio caloris nativi . 3. hic extinguitur frigido potu , venenis , peſte , ſuffocatione &c. extinguitur , & marcore . 4. tabe , ſeù defectu pabuli , ut abſumpto lychni oleo : ſenum indè mors naturalis dicitur . Hujus principium ab intrà , illius ab extrà . 5. Mori in ſenectute nullum dolorem facit,quia nulla paſſio violenta adeſt.6. Naſcentes morimur , finiſque ab origine pendet . Juvenes mori poſſunt ; ſenes diù vivere non poſſunt . Hinc fatalis neceſſitas . 8. quàm benè ferre boni viri eſt . 9. Omnium rerum nihil morte terribiliùs , nihil acerbiùs ; præſertìm cum omnium rerum ſit extremum . Mors ultima linea rerum .

1. *Cic. l. 1. Tuſc.* 2. *Galen. l. de temp.* 3. *Galen. de ſanit tuen*4.*Galen. de Tabe* 5. *Ariſtotel. de juvent. & ſenect.* 6. *Ovidius* . 7. *Seneca* . 8 . *Socrates* . 9. *Ariſtotel. l. 3. de morte* .

Appendix de Vita.

VIta . 1. Dei depoſitum , eſt . 2. conjunctio animæ , & corporis 3. permanſio caloris in humido . 4. viget potiſſimùm in corde , à quo tanquàm è fonte in omne corpus effunditur ; illud ideò dicitur. 5. primum vivens , & ultimum moriens . Vivit fœtus in utero vita plantæ; quia ſibi non dum parat alimentum , & adhærendo Matri vivit . 7. ut planta terræ . Vivunt frigidiſſimæ plantæ; papaver , mandragora. Vita hominis ſeptem dierum eſt . Artis medicæ beneficio prolungari poteſt, efficiendo , ne putredo in corpore oriatur , nevè ſiccitas mortem induat . 9. Oppugnatur ab excrementorum proventu,& contrariorum pugna,Mediocritate conſervatur : ſic longiùs breviuſvè fit ad mortem iter . 10. & ſic repetendis verbis ab initio enunciatis . 11. Qui ſalubrem vivendi rationem ignorant , hi citiùs , quàm natura poſtularet , moriuntur . Porrò vita brevis abhorrentibus medicinam .

1. *Plutarchus* . 2. *Galen. l. 2. de temp.* 3. *Galen.* 4. *Hippocr.* 5. *Ariſtotel.* 6. *Ariſtotel. l. 3. de generat. cap.*2.7. *Hippocr. l. de carn.* 8. *Avic. fen.* 1. *c.* 2. 9. *Ariſt. lib. de longit. vitæ* . 10. *Galen. l.* 1. *de ſan. tuen.* 11. *Hippocr.* 1. *aph.*

Appendix de Sole.

Communi omnium Philosophorum sententia receptum est, Solem viventium parentem, & alios planetas, & fixa sidera ità agere in hæc inferiora suo lumine, motu, & influxu : ut aer indè varias subeat mutationes. 1. Est Sol, ut quatuor anni temporum, specie differentium, auctor : ità annum in quatuor tempora differentia distinguit : ver, æstatem, autumnum, & hyemem; sed diversa ratione, tum ab Astrologis, tum à Medicis consideratur. 2. Illi enim Solis motum per zodiacum spectantes, ver inchoant, cum Sol arietem ingreditur; æstatem, cum cancrum; autumnum, cum libram; hyemem, cum subit capricornum; adeò ut singula trium mensium spatio circumscribantur: at Medici anni tempora definiunt ex insignibus aeris mutationibus; quas partim solis motus, partim aliorum siderum ortus, & occasus efficit. 3. quia ex illis valetudinis, & morbi causæ oriuntur : itaquè veris initium desumunt quidèm ab æquinoctio verno; sed estatem ab ortu plejadum; autumnum ab ortu arcturi; hyemem ab occasu plejadum, seù vergiliarum, supputant. Eorum tamen omnium Sol auctor est; cujus accessione, & recessu, aer quatuor generales mutationes experitur; ordinatas quidèm, si Solis motum spectemus; inordinatas verò, si partim hujus regionis inconstantiam, partim siderum aspectus, & occursus varios consideremus, quæ non eamdem semper tempestatum servari temperiem permittunt. 4. Quo fit, ut æstas, quæ calida, & sicca esse debet, interdum sit frigida, & pluviosa, propter rerum inferiorum inordinationem, variasque astrorum motiones, & conjunctiones. At Sol quidèm, ut quatuor anni temporum author est, ità corpora nostra, & humores singulis annis quadrifariam immutat. 8. jure diuturnorum morborum motum regere censeatur : ideò inter planetas quidam, & fixa sidera, Soli præcipua rerum dominatio adscribitur, qui ut suo accessu earum generationem, ità recessus corruptionem invenit. 6. Vis tribuitur calefaciendi, & paululùm siccandi; sed cum calidum, & humidum substantia, & qualitate dicatur, Sol substantia calidissimus, & humidissimus censetur; quod ejus adventu omnia vireant; nativum humidum augeatur, & homines repuerascant: qualitate verò modicè calidus est, quia calor humidi copia obtunditur; & paululùm siccus, quia humidum aqueum ab eo consumitur.

1 *Avic. doct. 3. fen. 1. b. 1. 2. Ptolomæus l. 1. cap. 9. de Judic.* 3. *Galen. lib 3. c. 2. de dieb. crit. & comm. ad partic.* 1. *l.* 1. *Epid.* 4. *Galen. l.* 3. *de dieb. crit.* 5. *Galen. l.* 3. *c.* 7. *de dieb. critic.* 6. *Ptolomæus c.* 4. *l.* 1. *de judiciis.*

Appendix de Luna.

LUna .1. ut menſibus præeſt, ſic mulierum menſtrua ſtato tempore ſollicitat; epilepſiam movet; ſtirpes, fructuſque adauget; animantia ſaginat; humores concitat, humectando putrefacit; & ſub dio dormientibus capitis gravitatem affert. Cum autem quadriformitèr habitu mutetur, prout ad Solem accedit, aut recedit, varias quoque in aere, & morbis acutis mutationes concitat, interlunio, & plenilunio vehementiores; illic quidèm, quia variis radiis ſolaribus, reſpectu noſtri non illuſtrata, magis refrigerat; hic verò lumen mutuatitium in terris refundens, calidior evadit. 2. Minores tamen excitat, cum media apparet, obſcuras, cum falcata videtur. Luna autem, quia motum habet celerem, ipſique dominatur humoribus; morbos acutos ſuo lumine, & motu regit, & judicat; quæ cum ſuum lumen à Sole fæneretur, prout ad illum accedit, aut ab illo recedit, varios ſchematiſmos, ideſt figurationes ſuſcipit. 3. Nam ubi Soli conjuncta eſt in eodem ſigno cum Sole dicitur. Cum ex coitu emergens duobus ſignis à Sole abſcedit, & falcata apparet; die videlicet quarto. Quandò tribus ſignis diſtat à Sole, nempè die ſeptimo, in aſpectu tetragono, curva appellatur; quia ſemiplena apparet. Cum quatuor ſignis à Sole digreditur in aſpectu trigono; die videlicet undecimo ſemiplena dicitur, quia convexa conſpicitur. Cum deniquè pleno orbe reſplendet, die decimoquarto, plenilunium vocatur; quo tempore Soli è diametro opponitur, ſignîſque ſex ab eo recedit. Ab hoc loco gradatim ad Solem reverſura, pares ſubiit mutationes; donec abſoluta periodo, vèl ad idem zodiaci punctum redierit, undè progreſſa fuerat: quod facit intrà ſpatium viginti ſeptem dierum, cum octo horis: quo ſpatio menſis periodicus, ſeù peragrationis definitur. Solem verò ipſum conſequitur ſpatio viginti novem dierum cum duodecim horis, quo ſpatio menſis conjunctionis conſtituitur. Menſis autem illuminationis à primo naſcentis luminis conſpectu ad ultimum uſquè diem evaneſcentis deſcribitur, qui viginti ſex dies, & horas duodecim complectitur. Tanta motus, & luminis varietate. Luna magnas morbis invehit mutationes; ſed dùm plena eſt celerrimas, & vehementiſſimas in coitu inæquales, & diuturnas; minores dùm ſemi-

miplena apparet: obscurat, dùm in cornua flexa conspicitur. Certè quarto, septimo, & decimoquarto die luna magnas in morbis commotiones excitabit; quæ tamèn pro vario lumine vehementiores aut imbecilliores evadunt.

1. *Galen. l. 3. de dieb. crit. & Plin. l. 2. c. 100. 2. Aristotel. l. 2. c. 4. de generat. animal. & aphrod. Probl. 64. l. 1. 3. Galen. l. 3. c. 2. de dieb. criticis. 4. Galen. lib. 3. de dieb. crit.*

APPENDIX.

De aliis Planetis, & Fixis Syderibus.

Coeteri 1. etiam Planetæ non parum aerem immutant, Saturnus refrigerat, & modicè siccat, eo quod à Solis calore, & Terræ humiditate distet longissimè: ideò maleficus est, quia naturæ contrarius: plantis tamèn præesse dicitur, quia suo frigore vermium generationem, & seminis putredinem prohibet. 2 Jupiter temperatè calidus, & humidus est; vis tamèn calefaciendi in eo prœcellit; ideò masculinus est, fæcundus, & benignus. Mars siccat, & urit; ideò maleficus, quia ferventissimus. Venus modicè calefacit, sed magis humectat; quia ingenti luce prædita attrahit exalationem humidam à proximis Terræ locis: proindè planeta est beneficus, & fæmininus. Mercurius naturam habet ancipitem, quia siccat aliquando propter Solis propinquitatem, non situ, sed loco: interdùm humectat ob Lunæ vicinitatem secundum situm. Sunt autem Sol, & Mercurius participes utriusque naturæ, suos effectus accomodantes Stellis, ad quas accesserit. Sunt alia sydera, quorum ortus, & occasus Medicus debet cognoscere; ut Canis, Plejades, & Arcturus; ex quibus non tantum tempora diffiniuntur, sed etiam magnæ in aere fiunt mutationes. 3. Siquidèm vigente canicula fervent maria; fluctuant in cellis vina; canes in rabiem aguntur. Difficiles. 4. sunt etiam purgationes, quod tum exausta natura vim cathartici non substineat. Plejadum occasu fiunt tempestates spirant venti aquilonii: suculis sęcōdentibus pluviæ oriuntur, nec. 5. sine procellosa grandine Arcturus emergit. Prætereà in præscribendis medicamentis vitanda esse ambo solstitia. 6. & æquinoctia; proptèr aeris intemperiem, & mutationem. Quamobrem. 7. Astronomiam Medico necessariam

esse scribit Hippocrates: ut ex syderum motu; temporum, aerisque mutationes agnoscat; non ut ex eorum vario aspectu, & concursu, & abdito influxu fortunas hominum, sed morborum eventus vaticinetur.

1. Ptolemæus l. 1. de judic. 2. Hippocr. 3. Plinius lib. 2. c. 40. 4. Hippocr. aph. 5. l. 4. 5. Columella l. 11. cap. 2. 6. Hippocr. lib. de Arte. 7. Hippocr. l. 1. de Diæta, & Hippocr. initio libri de Aere.

FINIS.

FRUCTUS
MEDICINÆ PRACTICÆ

Collecti Vigiliis, obstinatoque Studio.

A FRANCISCO ANTONIO GEORIO,
MARCHIONE, DOCTORE MEDICO

In Archi-Liceo Patavino,

Necnon in Romana Utriusque Juris Pallade.

LIBER SECUNDUS.

LIBER SECUNDUS.

In Universam Medicinam:

PRÆFATIO.

QUoniam Corpus humanum innumeris affectibus expositum est; certam sibi deposcit scientificam Artem; quæ omnia ejus incommoda perspicere, ipsũque ab iis tueri possit, ut docet Galenus *cap.* 84. Artis medicæ; hæc verò Medicina est, quæ à præcipuo munere nomen sortita, ab experientia sumpsit originem, cui occasionem præbuit necessitas. Prisci enim, cùm variis morbis affligerentur, multa præsidia experiri coacti sunt, quæ à Deo in eum usum condita fuerant. Verùm cùm nullis ad hùc Legibus Medicina constaret: primus Hippocrates eam ratione, & experientia constituit, dispersis theorematibus in artem scientificam redactis; Galenus eamdem auxit, & illustravit; Arabes numeris omnibus absolverunt.

CAP. I.

Quid sit Medicina.

CUm singula per definitionem cognoscantur, ut ait Aristoteles *cap.* 3. *lib.* 3. Metaph; rectè Marcus Tul ius omnem institutionem, quæ in ratione de re aliqua suscipitur, scripsit, debere proficisci à definitione.

Medicina est scientia sanitatis conservatrix, morborumque repultrix.

Sanitas est harmonia, sivè temperies quatuor primorum Elementorum, quæ in nobis sunt.

Medicinam ex Altissimo, & Onmipotente Deo emanasse Sacra testatur Scriptura, dicens *Eccl.* 38. à Deo est omnis medela. Hinc non mirũ, si Principes Reges, ac Imperatores multos illã exercuisse, ac prò viribus sequutos esse legamus; ut ab initio hujus nostri operis mirificè comprobavimus authoritatibus Pauli Sergii, & Boetii &c.

Medica igitur facultas dignissima est, & ejus præstantia desumitur etiam ex subjecti nobilitate, non enim versatur circa Aes, aut lignum, ut statuaria, aut lignaria; sed circa Corpus humanum, cæteris omnibus longè præstantiùs.

Archelaus Cappadociæ Rex, de Planctis græco eloquio scripsit. Attalius Pergami Rex de simplicium medicamentorum viribus composuit; Et Mitridates Ponti Rex Mitridaticum antidotum pro veneni præservatione posteris reliquit. Videatur etiam *Prælud. 3.* partis vulgaris.

Sanitas in rerum mediocritate consistit sicut, & Morbus in earumdem immediocritate, & excessu scilicèt, vel nimio defectu. Undè Hippocrates, & Galenus dixerè, labor, cibus, potus, somnus &c. omnia mediocria.

CAP. II.

De Humoribus Corporis Humani,

Humores in humano Corpore sunt quatuor, sanguis scilicèt, pituita, sivè phlegma, quàm medici definiunt esse sanguinem imperfectè coctum, undè est viscidus, crassus &c. Bilis, idest cholera, quæ si calida est, & sicca: Flava bilis appellatur, si frigida, & sicca, Atrabilis dicitur: Et Melancholia, quæ est quartus humor.

Opifex rerum naturaliū, ad Sanguinem ab excrementis purgandum, quò corpori purus distribueretur, tria procreavit viscera, scilicèt renes quæ serosum humorem; Bilis vessicam, quæ ipsam bilem; Lien, idest milsam, quæ sanguinem feculentum ad se trahit. Quod si hic impeditus muneri suo non satisfaciat; depravatus corporis color efficit. Quemadmodùm, si bilis in vessicam suam non recipiatur, mixta sanguine; universum corpus flavo colore tingit.

Cum extrahitur sanguis, & ponitur in vas: discernitur, quod separatur in partem, quæ est sicut spuma, & est cholera, & partem, quæ est sicùt fex, & res turbida, & est Melancholia: & partem, quæ est sicùt ovorum albumen, & est phlegma, & partem aquosam cujus superfluitas urina vocatur, rubrum verò remanens est sanguis.

Item

Item De Humoribus.

HUmores, quos Græci phlegma, choleram, & melancholiam vocant; Latini, pituitam, bilem, & atram bilem appellant. Pituita duplex est, scilicèt naturalis alimentitia, & præter naturalis excrementitia. Pituita naturalis est dulcis, mediocris substantiæ scilicèt non multùm tenuis, nec multùm crassę; fit præternaturalis, & excrementitia, si transmutetur ad ingentem frigiditatem, vèl caliditatem: itèm pituita naturalis potest converti in sanguinem per ulteriorem coctionem, non autem secunda, est. Melancholia etiàm dividitur in naturalem necessariam, & in innaturalem corpori obnoxiam, quæ est fex, aùt cinis generata ex quatuor humoribus principalibus, scilicèt, sanguine, cholera, phlegmate, & melancholia naturali; quæ melancholia naturalis est in sanguine, ac in vino fex, quæ verò in oleo residet murca.

Complexio est qualitas proveniens ex quatuor primis qualitatibus,& dividitùr in temperatam cùm est unicuique membro conveniens, & proportionatam ad producendum suas actiones naturales perfectas; & in intemperatam, cum est magis calida, frigida, humida, vel sicca, quam membris conveniat. Equam complexionem, Galenus cùm aliis àntiquis, dixit manere intèr primum, & quartum gradum. Quà de re gradus quatuor necessariò fuere, calidum in primo minùs est calore naturali, calidum in secundo, quasi illud; calidum in tertio majùs est eo; calidum in quarto, ultrà est eum. Eodem modo frigidum humidum, & siccum; cùm autem dicitur aliquod Corpus calidum, aùt frigidum, humidum, aùt siccum, non dicitùr aliarum expers qualitatum, sed nomen ab ea qualitate, quæ dominatur illi attribuitur.

Supposito priùs, quod in humano corpore sint quatuor qualitates scilicèt; caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas; dicitur, quod qualitates mediocres, & temperatę corporis habitudinem,& indolem faciunt speciosam, ac robustam valitudinem. Cerebrum si sit temperatæ complexionis, facit homines sapientes, & prudentes,qui rectè discurrunt.Cor,si tantùm habet caloris,& siccitatis, quantùm sibi optimè convenit, generat bonos mores, magnanimitatem, & justitiam. Cor calidum, & humidum facit hominem mitem, jucundum, ac bonis operibus præditum: Epar, si sit temperatum, facit bonum sanguinem, ac homines probos, & graves. Complexio renum, & Testiculorum temperata pro-

procreat pulchram prolem masculos, & fœminas sanos, & bonos &c.

CAP. III.

An aliqui sint Infirmitatibus dispositi.

Affirmativè respondent Medici. Undè sæpè contingit, ùt parens Podagrosus, creet sobolem eodem modò obnoxiam, ità catharro, epilepsia laborans Pater, ùt plurimum filium iis eisdem morbis obnoxium relinquit; et ratio est, quia singulis partibus nostri corporis innascitur in utero Matris certū temperamentum, cujus ratione sit, ùt hoc membrum sit illo longè infirmius, illud è contrà validius, proptèr aliquem in Patre, vel Matre insignem affectum.

Itèm quià aliqui à nativitate habent corpora inæqualium membrorum, ùt hepar, & cor calidæ admodùm temperaturæ, & ventriculum à nativitate frigidum, ùt perpetuò accidit iis, qui habent hepar nimis calidum; vèl sunt raræ texturæ: ùt molles carne; quià caro mollis facilè cedit tactui, qui talis est habitus, facilè patitur à quibuscumque causis extraneis.

CAP. IV.

An Omnes Infirmitates sint curabiles.

Negativè Medicos respondere videtur. Dicit enim Hippocrates, catharros in senibus difficultèr curari; & à Galeno exponitur difficultèr, idest nunquàm. Natura enim omnia opera sua facit, mediante calore naturali: si in membris introducatur intemperies frigida, extincto omni calore naturali rarò curantur. Undè quando materia frigida occupat membra frigida, & nervosa, non possunt curari omninò.

Alia ratio est, quià, & si alimentum etiàm bonum transmittitur ad membrum distemperatum, corrumpitur, quià pars illa, in qua calor ipsius est debilitatus, non potest exercere suas operationes naturales, quæ sunt expellere, concoquere, attrahere &c. & consequentèr non possunt curari; Nàm ad curationem dicunt

Hippo-

Hippocrates, & Galenus requiruntur tria, Natura, Ars, Fortuna.

CAP. V.

De Calvitiæ, Tinea, Tremore, & Dolore Capitis.

AD generationem, & conſervationem capillorum tria requiruntur, cutis, cui capillorum radices inhærent, materia ipſa, & calor agens: Si cutis conſiſtat in nimia humiditate, vèl laxitate, eſt defectus, qui dicitur defluvium capillorum: ſi cutis ſiccior, vèl aridior ſit, fit defectus, qui calvities dicitur: ſi materia deficit, vèl corrumpitur; radices capillorum neceſſariò cadunt. Capilli enim defluunt, vèl ob maximum alimenti defectum, vèl ob humorum pernicioſam corruptionem. Conſumpto enim humido in poris capillorum, pori elargati eos non detinent. Canitiem non eſſe morbum omninò incurabilem oſtendit experimentum, quod quibuſdam convaleſcentibus, canis ob morbum factis, priſtinus color rediit. Canitiem retardat inunctio ex oleo, & aqua: oleum enim prohibet ne caput ſiccetur; & aqua refrigerat, naturalemque calore disſari non permittit. Canities enim fit ob innati caloris pauperiem.

Folia arboribus, & plumæ avibus redeunt, pili verò decalvatis non redeunt; quià calvities accidit propter mutationem ætatis, quæ eſt irrevocabilis; caſus autèm foliorum, & plumarum proptèr mutationem temporum, quæ eſt circularis.

Tinea, Scabies, & Carbunculi in capitibus infantium naſcuntur ex putrido ſanguine, vèl cholericis humoribus, proptèr abundantiam ipſorum, & mollitiem cutis.

Tremor capitis provenit ex defectu regitivę virtutis in nervis ipſius colli, & aliorum membrorum. Sunt enim in hoc morbo duo motus oppoſiti, quorum altèr ſurſum, altèr verò deorſum movetur. Natura facit ſuperiorem, morbus verò inferiorem, & ſic ex controverſia duorum motuum tremor provenit.

Cephalea eſt dolor diuturnus, qui intolerabilem capitis paſſionem affert: undè, qui tali morbo laborat, neque ſtrepitum, neque vocem, neque luminis ſplendorem, neque motum tolerarę poteſt. Et eſt cerebri morbus difficultèr ſolubilis, & fit ab inflammatione in calvariæ membranis, ac cerebri pelliculis orta.

Hemi-

Hemicrania est dolor medietatis cranei, vèl capitis, & provenit cùm una pars cranei, est altera debilior, scilicèt sinistra, vèl dextera.

Caput dolet ex corruptione, vel superfluitate humorum. Cognoscitur autèm, undè proveniat dolor, quià si sanguis est in causa in anteriore parte capitis dolor aderit: rubet facies, & rubent oculi, & apparent quæ non erant solitę apparere venæ. Et ab hora nona noctis, usque ad tertiam diei, quæ est hora sanguinis invalescit; & tunc prodest ungere Plantam cum oleo rosato, vèl lacte, & aceto.

Si cholera dolor acutus, ac pungitivus in dextrà parte capitis erit, quia cholera ibidem dominatur, & à tertia hora diei, usque ad nonam roboratur dolor. Si phlegma alias pituita in universo capite, & in occipitio maximè idest in parte posteriori, ubi dominatur; gravitas sentitur magna, & frigiditas. A Naribus plures superfluitates effluunt, & gravis fit somnus. Et à tertia noctis hora, usque ad nonam continuè magis infestat. Si melancholia, cum frigiditate quadam in sinistra capitis parte, ubi ea plus viget; dolor plus sentitur, livet facies, & patiens mortuos, ac terribilia somnia videt. Hora Melancholicæ, quæ est hora nona diei, usque ad tertiam noctis continuè magis affligitur patiens, & tunc prodest si sint laurus, menta, & similia fomentari pedes cum aqua. Hujus melancholicæ passionis cura non est differenda, nàm sicut camini parietibus conquisita nigredo, nec scopa, nec aliquo Instrumento amoveri potest, sic nec per medicinas quantitas fumi melancholici in corpore confirmati.

Item Capitis dolor provenit à pituita in ventriculo generata in caput ascendente, & eum nimium replente, eodem modò quo, & vapores grossi ex cibo inconcocto in caput feruntur, qui ibidem retenti, & eum perturbant, & dolorem, & gravedinem, & alios morbos pariunt. Paululùm verò indè moti, si ad cutim pervenerint, faciem vitiato colore inficiunt. Materia enim prava existente necessè est quidquid indèdefluit esse pravum, ità pituita genita in capite, muccus propriè vocatur à Galeno.

Insupèr ex hæpatis calore sanguis fervens plurimus generatur à caliditate cordis, etiam spiritus ferventes, & mobiles generantur, quò confestim, & cum impetu ad cerebrum delati, extendunt, percutiunt, aperiunt, agitantur enim interclusi in angustis locis, undè necessariò dolores excitantur, solvitur enim continuum, & efficiens causa omnis doloris est solutio unitatis, quæ fit rumpendo, frangendo, incidendo, vel corrodendo unitatem.

Inflammatio cerebri evenit, quandò pori aperiuntur ultrà modum

modum, quæ passio pessima est, ita ùt intrà septem dies homines occidantur,& signa sunt tempora solito altiora, auditus obtusus. & oculi propelluntur sicut instrangulatis:pro qua prodest si capiti imponitur vinum , & oleum roseum.

Inflammationem capitis habere sinè dolore, signum est, quod quis raritatem texturæ habet; & vapores sunt tenues, qui de facili evaporant, & etiam per oculos,undè causatur pruritus oculorum.

Cùm caput valdè manibus constringitur juvatur, quià reprimuntur vapores, &caput roboratur, nè tàm facilè vapores ipsos suscipiat. Læditur tamèn à frigore; quoniàm dum friget corpus, pori astringuntur, vaporesque magis reclusi ascendunt ad caput,at calefacto corpore relaxantur diffluuntque, & a vertuntur. Qui vapores, & fumi si ex ventriculo ad caput ascendant, causant dolorem in anteriori cerebri parte; si verò ascendant per venam cavam, causant dolorem in parte posteriori.

Quandò musculi, & cor repleti sunt viscidis, & crassiis humoribus non possunt contrahi, & dilatari, undè impediunt circumgirationem capitis.

CAP. VI.

De Somniis.

SOmnia fiunt quando cum sanguine subtili fantasmata descendunt in sensum communem, ut dicit Philosophus. Quod quidam nunquam somniant provenit,quià in talibus est per totum somnum multa evaporatio crassa, & spissa ad cerebrum, undè in eis semper est profundus somnus.

Est sciendum autem ex supradicto Philosopho, quod recedente sensibili extrinsecùs remanēt simulacra,& redeunt in somno ad organum sensus communis; porrò sensus communis ea refert ad sensata propria,sicut etiàm facit in vigilia,ideòque videtur homini, quod videat, & audiat, ceterisque sensibus agat. Et quia vapores existentes in cerebro species rerum sibi conformium mittunt in sensum communem, & sic patiens, somnia illis conformia somniat; hinc volunt Medici, quod infirmi sint interrogandi de somniis, ad cognoscendum humorem, qui in causa est morbi.

Nam si res rubeas, cantilenas, choreas, risus, vèl res lætitiam inferentes quis somniat; sanguinem peccantem arguunt: si autem res citrinas, saltare, volare, & rixas facere, & universalitèr

res ad furorem pertinentes choleram. Sed ubi aquas, pisces, nives, pluvias,&alia consimilia phlegma id efficiet. At ubi mortuos in profundum cadere nigra videre, & alia timorosa somniaverit Melancholiam arguunt.

CAP. VII.

De Frenesi, & Delirio.

FRenesis, & delirium est mentis alienatio à fumis putridis à calidis humoribus resolutis causata. Fit enim ex eis apostema calidum in cerebro, aut in panniculis ejus; sunt enim frenes, panniculi quidam cerebri substantiam involuentes; qui cum cerebrum ipsum medullaris sit substantiæ, nè fluat retinent. Ad similitudinem frenorum, quibus detinentur equi; panniculi dicti sunt frenes. Cum igitur illis in panniculis tale apostema, ut plurimum fiat frenesis nuncupatur.

Rabies est intemperies calida, & sicca in summo, & miscetur morsibus, vel spuma, sicut morbus gallicus mixtione seminis: ità celsus.

Fatuitas est diminutio discursus. Amentia est cùm homines adeò carent discursu, & mente; ùt videantur puræ pecudes.

Causæ internæ fatuitatis, & amentiæ sunt frigidi humores, sivè sint pituitosi, sivè melancholici: ità Mercurialis de affectibus capitis. Causæ externæ sunt Communes.

In Cura Frenesis ab extrà deserviunt crurum fricationes, & pedum, àc manuum volæquæ cùm aceto sale mixto fricentùr. Ventosæ item in tali casu conveniunt, quæ in spatulis sinè scavificatione poni debent, & primò super nates, præcipuè ubi ætas, seù aliud phlobotomiam fieri prohibent.

At illa, quæ applicantur capiti, sunt cum cautela approximanda, nàm in capite repleto, seù catarrhoso, nullum actualitèr frigidum debet apponi; quia frigiditas illa primo occursu poros clauderet, & vaporum, qui sunt ægritudinis causa, traspirationem prohiberet.

Frenesis, & Mania sunt, ùt species delirii, & sunt infirmitates insaniæ.

Adverte, quod tàm vinum, quám aqua delirum facit, si importunè febricitantibus detur, licet hæc inter se contraria sint. Quoniam vini calor afferens se se ad partem superiorem cerebrum

cùm

cùm febre deurit: aqua sanè, quoniam obtrudit foramina; & iter claùdit, quò minus putris materia valeat exalare febres auget, & in causa est, ut mens de suo statu moveatur. Maniam latini furorem appellant.

CAP. VIII.

De Lithargia.

Lithargia est apostema frigidum ad intrà craneum in posteriori cellula capitis genitum cùm febre lenta, & continua, oblivionem faciens: hujus causa intrinseca, & extrinseca esse potest. Causa extrinseca est res quælibet potens humorem phlegmaticum, aùt melancholicum vaporosum generare, ùt aer excessivè frigidus, somnus debito longior, retentio superfluitatum &c.

Causa intrinseca est ipsum phlegma, & interdum melancholia in meatibus, vèl panniculis cellulæ posterioris cerebri, aùt in ipsa substantia cerebri congesta.

Quidam lethargiam dicunt frenesim esse frigidam. Mania coincidit quasi cum frenesi calida

Item alii dicunt lethargiam, non veram, solùm esse mentis oblivionèm, quæ senibus plerunque contingit; his scilicèt, qui plurimò abundant phlegmate in cellula posteriori cerebri, undè organum memoriæ, nihil, aùt benè parùm retinere potest.

Immodica cerebri siccitas, vèl à nimia inedia, vèl à Venere, vèl à quacunque alia causa contracta, memoriæ officit, eoquod ea qualitas idonea sit ad suscipiendas rerum formas, & affluentior humiditas ex otio immodico somno, memorandi facultatem opprimit; nàm species sic de facili effluunt, & evanescunt. Hinc senes, & Pueri obliviosi licet diversa ratione.

Somnus etiàm profundus dicitur à medicis letargus; nam letargus est, secundum eos, dormiendi inexpugnabilis quædam cupiditas.

Somnus fit refrigerato primo sensitivo, vèl sensitorio, idest cerebro; quæ refrigeratio si mixta fuerit cùm multa humiditate facit lethargicas passiones, & somnum non naturalem, qualis est, quanta immensa est humiditas cerebrum gravans; & quanto magis meatus obstruit magis quæ opilat, ut letargicis.

CAP. IX.

De Vertigine.

VErtigo eſt quotieſcumque ventus conſurgit, & terram in circuitum mittit. Sic & in vertice hominis arteriæ, & venæ ventoſitatem ex reſoluta humectatione gignunt, & in oculis girum faciunt, undè, & vertigo nuncupata eſt.

Alii verò dicunt, quod quando flatuoſus ſpiritus incluſus ad cerebrum fertur, & in ejus partibus inordinatè movetur, tunc omnia circumagi, atquæ rotari videntur. At verò concluditur à medicis, quod vertigo nihil aliud eſt: niſi inordinatus motus ſpirituum exiſtentium in anterioribus ventriculis cerebri, cauſatus à vaporibus craſſis, ſivè deveniant à ſtomacho, aut ab aliis membris, vèl à toto.

Vapores, qui à pituita elevantur craſſi ſunt; qui à ſanguine tenuès ſunt, & iſti tenuès vapores cauſant levem vertiginem, quia ſubitò evaporant.

Vapor aniſi attractus vertiginem ſedat. Prodeſt abſtinere leguminibus, ab his, quæ generant groſſos humores, & à vino.

CAP. X.

De Epilepſia, vel morbo Caduco.

HUjuſmodi morbus vocatur etiàm morbus lunaticus, & cauſatur à vapore, humore, vèl vento. Vapor enim, ſeù ventoſitas in cerebro genita, vèl aliundè veniens; ſi ſecum aliqua venenoſa qualitas juncta ſit, cerebrum, aùt ejus pelliculas mordicando percutit; undè ſentiens nocumentum contrahitur, ad cujus contractionem orta ab eo contrahuntur, & ſic ex tali nervorum contractione fit in via ſpirituum opilatio, proptèr quod ad membra tranſire nequeuntes, motu, & ſenſu privantur, & ſic patiens cadit.

Apoplexiæ morbus nequaquam, aùt raro curatur, niſi febris apprehenderit: quia febris, ſi apoplexia fiat à ſpiritu flatuoſo, vèl à materia pituitoſa, diſpoſitionem ſolvit calcfaciendo, extenuando,

ac

ac resolvendo spiritum flatuosum, & humorem pituitosum; undè exhibet spem salutis ipsa calamitas febris.

Apoplexiæ illicò administranda est omnis cura; nam dilatio ducit ad mortem festinam: cùm morbus per se parùm curàm recipiat, idcircò cùm protestationem mortis medicus se ad curam intromittat.

Causæ hujus infirmitatis esse possunt intrinsecæ, & extrinsecæ; inter extrinsecas sunt cibi, ac potus inconveniens, assumptio fætidi aeris, aùt alteriùs rei oblatio.

Quantum ad intrinsecas à quolibet humore potest indifferenter provenire, frequentiùs tamen à phlegmatæ, & à corrupto spermate, tàm in mulieribus, quàm in viris. Itèm epilepsia, quæ est parva apoplexia potest fieri à materia, & à qualitate sola; à materia fit ab humore crasso pituitoso, & à melancholico obstruente ventriculos cerebri; de obstructione loquor non perfecta, sed imperfecta,& diminuta. Nàm ex perfecta obstructione fit apoplexia, vulgariter dicta *Goccia*: quia tùnc homo penitus ammittit sensum, & motum; eo quod jacet sicut cadaver.

Inter alia signa apoplexiæ est spuma in ore. Galenus voluit spumæ duas esse causas; scilicèt materiam humidam, & aerem illi intrusum per motum caloris.

Itèm apoplexia est quædam ventriculorum cerebri obstructio per quam membra motu, & sensu privantur.

Epilepsiæ si phlegma in causa fuerit, velùti plurimum contingit, spuma grossa, & alba ad os erit; si verò spuma ad crocitatem tetenderit, & in facie fuerit rubedo, cùm quo infirmus post paroxismum cùm quodam fatuo? risu manet; causam fore sanguinem, nullo modò dubites. At si spuma fuerit modica, liviens in facie sit Saturninus, & post paroxismum veluti melancholicus remanserit, id à melancholia provenire certum est; & ubi paroxismus sit levis, spuma citrina, cùm quò quietis tempore rixosus, & quasi maniatus infirmus manet; provenit à cholera; esto id raro fiat, nàm sua caliditate aperit, & deoppilat, suaque subtilitate facile penetrat, spiritibus viam præbens.

Locus à quò epilepsia proveniat sic investigandus erit, nàm si à capite hoc fiat, gravitatem capitis, vertiginem, oculorum tenebrositatem, vel alios dolores sæpè caput patitur, cum quo paroxismum venire non presentit. Si à stomacho dolores, nauseam, aliasque stomachi ægritudines sæpè patitur, & in paroxismo, ùt plurium evomit. Si autèm à matrice mulier, persæpè de passionibus matricis conqueritur, & se commingit interdum.

Si

Si à Splene, lateris finiſtri dolores ſæpè patitur; ſi ab hepate paſſiones ejus aliquæ præceſſerunt. Si ab inteſtinis, dolores eorum ſæpè veniunt, cùm quo, ùt plurimum in paroxiſmo ſtercorizant, & ſi à vermibus in paroxiſmo ſe polluunt.

Gomorhea eſt involuntariùs ſæminis exitus; quæ accidit, vèl vitio ſeminis, vèl vitio vaſorum ſeminalium. Vitio ſeminis, ſcilicèt, vèl ratione multitudinis, vèl ratione malæ qualitatis acris, vèl hujuſmodi ratione vaſorum; ſcilicèt, vèl proptèr imbecillitatem ipſorum; vèl quià relaxata, & aperta ſunt, & calefacta; ità quod trahant, quod non deberent trahere, cumque ſint debilitata, multa excrementa ad illa demandantur. Quandoque etiàm provenit ex caliditate renum, quæ poteſt eſſe tanta, ùt dilatet, & aperiat vaſa ſeminaria. Exit etiam ſperma per convulſionem, cùm quis in epilepſiam inciderit, proptèr villos, qui contrahuntur, & extenduntur in ea.

Quò verò ad tempus quò magis infeſtat Epilepſia, docet Avicenna dicens, quod Luna vim habet in noſtris corporibus, & præcipuè in cerebro; creſcit enim, & decreſcit ad motum Lunæ: undè omnes ægritudines, & omnes defluxus à capite maximè exercebantur ſecundum Lunam, & circà coniunctionem Lunæ, & ſignantèr intèr alias epilepſia; quæ dicitur herculeus morbus, non quod Herculi ſupervenerit, ſed quia inexpugnabilis eſt, & invictus ſicut Hercules.

Hippocrates Aphoris. 2., & 45. Quicunque Juvenes morbo comitiali laborant mutatione ætatis, temporis, locorum, & victuum liberantur.

CAP. XI.

De Catarrho

Catarrhus accipitur dupliciter; propriè, & impropriè. Propriè, diſtillatio, quæ ad fauces, vèl pectus deſcendit, dicitur catarrhus. Impropriè verò catarrhus dicitur quæcunque fluxio à ſuperioribus partibus ad inferiora, qui juxta partium ad quas defluit diverſitatem, diverſa quoque nomina ſortitur. Ubi enim ad os, ac fauces, & mox ad ſtomachum, ſive gulam, atque indè in ventriculum defluxus contingit, ſimplici vocabulo diſtillatio dicitur! dùm ad nares gravedo vocatur: ubi verò ad palatum, & aſperam arteriam dilabitur, raucedo vocatùr.

Distillatio nihil aliud est, quàm superabundantis humoris ex capite in partes subiectas fluxio. Itèm distillatio est per palati foramina multorum humorum delatio.

Tenuis distillatio cognoscitur ex eo, dùm expuitur quod labilis sit, & fluat: è converso crassa in globum vertitur, & in se permanens non fluit.

Undè catarrhus nihil aliud est, quàm fluxus immoderatus humorum à calore dissolvente, vèl à frigiditate cerebrum comprimente, & materias catarrhales exprimente, quod provenit etiàm ex pedum frigiditate. Sunt enim nervosi valdè, cujus causa eorum frigiditas facilè communicatur cerebro; undè proptèr hoc plurimi decipiuntur, credentes illud à sola cerebri frigiditate provenire, & ob hoc caput valdè coopertum tenent, & malè: quià plures ad ipsum, quàm priùs vapores attrahuntur.

Vel ex humiditate, quæ in proprio loco contineri non potest, sed exteriùs dissolvitur. Undè inter causas catarrhi connumeratur grassi, & humidi aeris attractio; vel tandem ex debilitate virtutis, humores continere non valente. Itèm causæ catarrhi sunt ventriculus frigidus, & hepar calidum, quod semper attrahit chilum inconcoctum, & crudum; & cùm posterior concoctio non corrigat priorem, hinc fit, quod in omnibus venis multiplicantur superfluitates, & in toto ambitu venarum; quæ etiam causant, generantque somnum multum, & nimiam quietem, caput replendo, & humectando. Retensio superfluorum consuetorum evacuari exercitium forte; ira fortis, & cogitationes fortes, humores liquefacendo.

Studia quantum conferant ad Catarrhum, noverunt qui student, undè Marsilius Ficinus rectè dicebat scolares non habere hostem majorem, quam Catarrhum. Si Catarrhus proveniat à Causa calida; cognoscitur, quia talis materia sua acuitate nares, per quæ transit loca mordicat, & in eis pruritum faciens ad sternutationem cerebrum inducit, si à causa frigida, cognoscitur, quia olfatus destruitur, & materia, ut plurimum grossa est, atque viscosa. Opilantur nares, & fit impotentia attrahendi per nasum. Hujusmodi catarrho remedia sunt cibi calidi, cohibitio sive retentio spiritus, qui frigefactas pectoris particulas calefacit, & materiam pituitosam, & frigidam concoquit, & consumit.

Interdùm catarrhus divertitur cum fricationibus, lotionibus brachiorum &c. quæ habent diversificari secundum materiæ diversitatem. In catarrho quidem calido sint frigidæ, & infrigido calidæ.

Fricationes ad tibias, coxas, & brachia, antequam patiens surgat, maximè conveniunt.

At

At in catarrho suspecta sunt gargarismata in quatuor casibus; scilicet quando est suspicio catarrhi ad pectus, & pulmonem fluentis; 2. si sit de genere subtilium acutorum, & mordicantium; 3. in præfocationibus, quæ fiunt citò, in paratis ad suffocationem; 4. si sit vehementis multitudinis. Conferunt catarrho vitella, ovorum sorbilium; sed suffumigium utriusque storacis cohibet catarrhum.

Hora verò ablutionis pro laborantibus catarrho diurno ex intemperie frigida, & humida est vesperi ante cænam, ùt deindè faciliùs possint aeris omnia incommoda vitari; sed post ablutionem suavitèr, & lænitèr caput pannis moderatè calidis exiccetur.

Quando catarrhus cùm dolore capitis conjugitur: difficultèr curam recipit, dolor enim capitis cerebrum debilitat, cujus causa plurimæ superfluitates in eo generantur, quæ multum catarrhi curam impediunt.

In cura catarrhi sæpe timent Medici, nè in principio suffocationem inducat, aùt ad membra aliqua, ùt ad oculos, nares, fauces, pulmonem &c. multitudine sua, tumorosam aliquam ægritudinem efficiat.

Quando catarrhus est acutus, subtilis, cujus fluxus facilè excitatur, sivè concitatur; meliùs est retinere in ore infrigidantia & ingrossantia, non gargarizando; at si catarrhus sit multus, & vehemens non est gargarizandum. Et quando aliqui sunt cùm tanta anhelitus constrictione, ùt non possint loqui, neque quasi bibere, signum est hoc provenire à catarrho multo, & subtili, subitò ad partes pulmonis præcipitato, aùt ad aliquas partes, ob quarum nocumentum anhelitus impeditur. Talibus prohibenda est omnis locutio, et motus corporis: est enim quies ipsa catarrhos maturans, magis, & sedentes debent stare, pectore dilatato, in aere libero, luminoso, ad frigidum declinante, sed non ventoso, & maximè si Austèr, aùt Borea efflaverit. Auster enim rarefacit, & capita replet. Borea verò frigiditate sua stringens, & comprimens facit catarrhum fluere.

Qui catarrho laborat, si cænam sumpserit, multùm posteà tardet ire dormitum, & recordetur, quod nihil pestilentiùs his, qui catarrho subiecti sunt; quàm serò è lecto surgere, & ad prandium accedere nocturno catarrho adhuc fluctuante.

Catarrhus salsus fit proptèr humores biliosos ab hepate, & ambitu totius corporis elevatos ad caput, & cùm ipsum calidum reperiatur, magis ibi excoquitur.

Corizza dicitur à nomine Greco; quod apud nos sonat lacerare, mordicare.

Quan-

Quando catarrhus non causat sitim, signum est esse frigidum, quod si aliquam salsedinem habuerit, hoc erit, vèl proptèr putredinem humoris crassi, adusti, secundum Galenum, & Aristotelem, vèl ùt voluit Avicennas, proptèr permixtionem vaporum calidorum, & acrium, ex quibus fit salsedo.

CAP. XII.

De Dolore Dentium.

DOlor genericè sumptus est sensibilitas rei contrariæ; vèl est adversæ rei repente occurrentis sensibilitas.

Gengivæ si molles sunt, & fluxum sanguinis faciunt, prodest os lavare cùm humiditatis restrictivis, velùti cùm aqua rosacea, vèl puro aceto.

Dentium multitudo, & bona compago, signum est vitæ longevæ, quia conferunt ad benè mandendum, id verò ad vitæ longitudinem, & incolumitatem.

Causa dolorosa Dentium provenit vèl à verme pungente; aùt à materia grossa, & multa extendente, aùt ab acuta subtili in substantiam ejus penetrante; & aliquando causa dolorosa est gingiva, proptèr materiam ad ipsam fluentem, corrodentem, apostemantem &c. verùm dolor perforativus quandoque est à ventositate retenta in radice dentium. Vermem autèm esse in foramine compræhenditur ex dolore interpollato, cùm motu vermium.

Mobilitas dentium oritur secundum Galenum ex defectu alimenti, ùt in iis, qui utuntur inedia. Deficiente alimento, locelli fiunt ampliores, & dentes minuuntur.

Idem fit ob nimiam humiditatem nervi, qui substernitur radicibus dentium. Fit etiam ob succos, & humores abundantes acres, scilicèt calidos resolventes humiditatem, & desiccantes partes illas in quibus dentes continentur, ùt in morbo gallico.

Succus foliorum de lentisco sicut solidat scissuras labiorum, & manuùm, ità, & dentes commotos confirmat, si sæpiùs in ore teneatur, & ligno ejus viridi dentes candidantur confricati; nigrescunt autèm, & putrescunt ab excrementiva cerebri humiditate.

Dentium mutua insertio cùm aperiendi impotentia sivè fit per contractionem musculorum, sivè &c. certùm est fieri à mate-

 ria

ria frigida, vèl tenui admodùm, quæ ad eas partes tamquam debiliores à capite violentèr exprimitur.

Dentium verò ſtupor, ſivè congelatio habens triſtem ſenſationem, ùt contingit maſticantibus res acres, acetoſa &c. curatur per ſalem fricatum; nam ſua caliditate, & ſiccitate frigiditatem reſolvit; & id, quod ex humiditate ſubtili in dentibus eſt impreſſum aùt in ſuperficiè inviſicatum.

Panis etiàm calidus hoc idem facit ſua caliditate actuali, & in ſumma omnia calida.

Item ſal præſervat dentes à putredine, & gengivas aſtringit.

CAP. XIII.

De Sciſſione Labiorum.

Sciſſio, vel fiſſuræ labiorum, & eorum ulceratio, provenit à cholera in labiis recepta, quæ ſui acuitate ſubtilitate, & levitate findit etiam manus; & ſi fit nigra ex gravitate, & craſſitudine ſua, deſcendit ad inferiora, findens etiàm pedes. Undè purgandi ſunt humores corpori dominantes, & poſteà ungenda ſunt loca cùm oleo violaceo vel roſato.

Pro linguæ nigredine, & viſcoſitate, prodeſt frequens ablutio concoctionis ordei, vel aquæ cum ſaccharo, & tenui panno.

CAP. XIV.

De Catharacta.

Catharacta eſt opilatio ex aqua, viſum impediens, licet alii alitèr diffiniant, dicentes, quod eſt macula pannicularis intrà oculum, coram pupilla, per quam viſus prohibetur ex humiditate extranea in oculo exiſtente temporis diuturnitate, & frigiditate oculi congelata. Undè catharacta propriè ſumpta eſt opilatio aquoſa prohibens tranſitum ſpecierum viſibilium; & ùt plurimum humor à quo pendet catharacta eſt phlegmaticus, vèl aquoſus; raro cholericus, ſanguineus, aùt melancholicus. Catharacta, non ſemper ſituatur ex oppoſito pupillæ, ſed aliquando magis ſupra, vèl infrà; undè proptèr hanc cauſam catharatici vident medietatem inferiorem unius rei, aliquando ſuperiorem, aliquando dexteram, aliquando ſiniſtram &c.

Inflam-

Inflammatio est calidum apostema nascens super albuginem oculorum, pelliculasque; & à medicis ophtalmia dicitur, cui nihil debet adhiberi, nisi molle, levè, nullius viscid itatis, lentorisvè particeps: talia enim frequentèr adhærent affecto loco, & ità impinguantur, dùm exiccantur; út removeri non possint, nisi locus exacerbetur, dolor excitetur, & inflammatio augeatur. Prò sanguine in oculis,& prò dolore oculorum prodest purgato capite, lac mulieris, albumen ovi, & aqua rosata, si superponatur ipsis oculis. Diversio tamèn materiarum peccantium perficitur cum fricationibus, pedum, lotionibus &c. Oculis valdè nocet nimius coitus; nàm per eum aufertur id quod commodum est eis, humidum scilicèt aqueum, & subtile. Jàm verò evulsis, atque evacuatis humidis, partes superiores necessario exiccantur: quo fit, ùt oculi, qui humiditate vigent à sua decedant natura, hæbetioresque fiant; est cùm apparent concavi, videnturque habere quemdam circulum nigrum, hoc provenit proptèr paucitatem spirituum, & boni sanguinis.

Itèm quia oculus ùt ait Phil. est valdè frigidus; quandò in temporibus, & locis aliquibus infrigidantur supra temperamentum, generatùr obscuritas visus, ùt patet ambulantibus in nive, vèl in glacie, vèl in mare.

Fumus cùm mordacissimus sit, nimiumque exiccet, infestissimus est oculis *ex Arist. Probl.* 22. fletus itèm immodicus retentricem oculorum facultatem imbecilliorem reddit; ideò visum vehementèr obsædit, & sanam oculorum aciem nimio plus siccando hebetat. Eadem ratione nocet ignis. Et hinc etiàm senes obtusè vident, quià in eis ùt cæterarum partium, ità oculorum cutis, & membrana rugis contrahitur, quàm ad intuendum levem, & tenuem esse oportet.

Cùm lusci,& senes parùm videant;illi obiectum visibile parùm admovent; hi aliquantulum removent. Hujus causam esse dicit Galenus, quià cum senes parum interlucidi in oculis habeant, egent externo lumine, ideòque removent objectum ùt magis illustretur: lusci verò utpote albis præditi oculis, interno abundant luminè, atque ùt externum effugiant visibile aliquantulùm à luce avocant, nè externi luminis copia visus offendatur. Qui enim habent spiritus claros, non possunt videre, nisi semiclaudant oculos, ùt quasi subumbrentur spiritus: at quando quis procul non videt quantum oportet; provenit, quià spiritus ex longo studio, & labore mentis, rationalisque discursus fuerunt resoluti, paucioresque rediti, quàm ùt sufficiant longinque visioni.

Et cùm quis dùm surgit, deteriùs videt, signum est quià plurimi in nocte vapores concepti, cùm non possint pertransire, causant illud; sèd cùm absterguntur oculi, & mundificantur; illi vapores resolvuntur, & sic meliùs videtur.

Causa quare calor viridis, visum præ ceteris foveat est; quia habet, & continet valdè bene temperatam nigredinem, cùm albedine: undè si oculus delectatur luce illa albedinis, non tamèn dissolvitur ejus visus. Visus enim ità optat perfrui lumine, ùt per amicum suum amplificetur, nèc tamèn interim dissipetur. In quocumque alio colore plùs admodùm suæ nigredinis est quàm lucis. Unde radius visus non delectatur ad votum. Tenebras enim naturaliter ùt inimicas fugit.

Delectatur insuper visus, atque conservatur molli, ac teneri qualitate sicùt aqua, quæ radiis oculorum absque offensione resistit; & specularia corpora, quæ soliditatem aliquam habent levemque simul equalitatem visui conferunt, quià nec ipsa quidem frangunt, nec longiùs disperdi permictunt.

Traditum est in Libris antiquorum, serpentem, annuam senectutem fæniculi degustatione deponere; oculorumque caligines succum ejus exprimere: unde intelligi datum est easdem virtutes etiam humanis corporibus utiles esse, ùt certa postmodum experimenta docuerunt sic esse.

CAP. XV.

De Sonitu, & Tinnitu Aurium.

MEdici docent hoc provenire ex dispositione foraminis; sicùt quandò foramen auris est nimis largum, aùt non debitè tortuosum; si hæc sunt à generatione, ei non est cura. Foramine enìm auris existente lato, aùt non debitè tortuoso, quælibet minima inundatio aeris extrinseci communicatur aeri intrinseco existenti in concavitate nervi auditorii: aùt quià miringa auditus est nimis tenuis, ac subtilis: & quando nervus auditivus est texturæ nimis tenuis, naturali humiditate, sivè convenienti privatus; patitur à qualibet inundatione aeris extrinseci, ideoque sequitur sibilus: aùt quia aer est tenuis, & subtilis: undè facilè à quocumque vapore movetur; sicùt frequentèr accidit convalescentibus, & iis qui nimis abstinent; humido resoluto, & aere intrinseco subtiliato. Quà proptèr nervus auditorius factus debilis patitur à

qua-

quacunque minima inundatione aeris intrinseci; ficùt patitur debilis calorem, & frigus à quacunque minima causa calefaciente, & infrigidante. Sibilus autèm etiàm provenit ab humoribus, & spiritibus simùl, qui vehementiore, atque inordinato corporis motu concitati, crassos, ventosofque generant flatus; quibus sursum urgentibus, cùm facilis non pateat exitus, tinnitus excitatur. Quando etiàm vapor crassus, & viscosus agitatus à calido, non ità facilè resoluitur, strepitum facit; quemadmodùm vapor venti propulsus in aere.

Fel Bovis tinnitibus, & auris sonitui medetur, si cùm bombace supponatur.

Itèm vapor aceti, sivè fumus aceti, & succus foliorum capparorum (intèr alia) sonitui profunt. Sed advertendum, quod id, quod in aurem proiicitur, non sit calidum, vèl frigidum, sed tepidum, & in parva quantitate, & quod locus sit auriscalpio mundificatus.

Auditus obtusus fit cùm ex inconcoctis, & crudis in ventriculo cibis, viscosi, & flatuosi suscitantur fumi; qui in caput sublati auditorios obruunt meatus, auditumque gravant.

CAP. XVI.

De Balbuzie, Raucedine vocis, & Squinantia.

GAlenus dicit, quod Balbuties linguæ est vitium non vocis; quia aliundè accidere potest. Id vitii accidere potest, vèl quià lingua sit quodammodò brevior, quàm convenit, vèl quià molliore, & humidiore sit temperamento: quam ob causam pueri balbutiunt. Haùd dissimile in ipsius eventu, atque ambulando fit. Nàm ex iis nonnulli, nullo pacto incedunt, alii verò in incessu sunt parum firmi tibiis præ multitudine titubantibus, & vacillantibus.

Cognitis hujusmodi causis balbutiei, sapientibus facile erit intelligere, an talis defectus sit curabilis, & quomodò.

Vox secundum Medicos dividitur in gravem, acutam, & raucam. Tardè agitatus aer est causa gravis vocis; sicùt acutæ vocis causa immediata est aer velocitèr impulsus; Undè instrumenti angustia, ùt in pueris, est causa vocis acutę; eò quod aer velocitèr impellitur. At in pubertatę instrumenta fiunt ampliora, ideò vox mu-

tatur.

tatur. In mulieribus acuta est vox propter frigus coangustās poros.

Itèm mutatio vocis fit etiàm ex seminis generatione; quià spiritus vitales in testes decumbunt, minorque copia ad reliquas corporis partes defertur; sicque aer minori impetu agitatur &c. Undè juvenes incipiunt vocem mutare, si incipiant spumescere, idest coire.

Raucedo vocis provenit, & ex nimia siccitate, & ex nimia humiditate. Hinc nux cùm vehementèr exiccet, vocem exasperat; & oleum in biliosis corporibus, quià promptè accenditur, vocalem sæpè arteriam exasperat, raucedinèmque parit: at si sit præcipuè ex immaturis olivis, glutinosa sua qualitate, arteriæ diutuę inhærendo ipsam stringit, atque exasperat, & similitèr raucedinem parit. Frigus etiam capitis, quod caput comprimit, stringitque humores, qui sunt in cerebro, facit ùt deorsum ad asperam arteriam defluant, eamque immodicè humectando, raucedinem excitat: quod etiàm provenit à pituita, quæ ex sui natura frigidissima est.

Raucedini, atque suffocationi, causatis ex morbillis, si corpus satis evacuatum fuerit, prosunt ea, quæ repellendi vim habent, ùt aqua ordei cùm syrupo rosato, obleniunt etiàm exasperatum guttur, & facilem expulsionem præstant syrupus violarum, granatorum dulcium, de prunis Damascenis cùm saccharo &c.

Vox magna fit ex multa caliditate, forti virtute, & dilatatione vasorum, quæ sunt vocis Instrumenta, scilicèt pectus, canna, pulmo.

Squinantia est apostema in gutture anhelitum impediens, vèl deglutionem, àùt utrumque.

Guttur est spatium in quo sunt meatus anhelitus cibi, & fluidius est canalis, scilicèt via ab ore ad stomachum. Undè duæ sunt fistulæ in homine, spiritualis una, cibalis altera; illa quæ interior est, appellatur aspera arteria, ad pulmonem, & cor pertinens, qua spiritus à pulmone ad eos transmittitur exterior verò dicitùr gula, qua cibus, & potus devoratur, & glutitur tendens ad stomachum, hujus gulæ summum: fauces dicuntur, atque etiàm guttur nuncupatur.

Gurgulio propriè est pars gutturis à naribus ad pulmonem.

In cura gurguglionis gargarismi fiant, ex decocto ficuum cùm aqua calida: sed si ampliùs augescat malum, & principium suffocationis suspectum sit; alvus forti clysteri subducatur.

Strangulatio est subitus ob inspirationis defectum interitus; qui fit ex angustia alicu,us instrumenti ex iis, quæ serviunt inspi-

rationi

rationi; strangulatio fit, cùm hieme vereque fluxio multa, atque viscosa, & ad venas jugulares, idèst vicinas gutturi defluxerit, faucium venis tales impacti fuerint humores.

CAP. XVII.

De Siti, & ejus Cura.

SItis ex Aristotelis, & Galeni sententia est appetitus frigidi, & humidi: quo dato, & concesso, aqua in universum est melior quià frigida, & humida: tamèn in cibi permixtione, & ejusdem ad omnes corporis partes dilatione, vinum præstantiùs habetur. Siquidem faciliùs tùm proptèr substantiæ tenuitatem, tùm actionis celeritate cibis permiscetur. Tùm quià etiàm natura eò magis delectatur, undè concoctionem adjuvat sua caliditate, quàm impedit aqua sua frigiditate. Insupèr in aqua non invenitur virtus incisiva, sicùt in aceto; neque calefactiva, sicùt in melle; calefactione sua abstergens, & incidens; & proptèr hanc causam oportet, ùt sit aqua tota tardè penetrationis, difficilis digestionis, & difficilis descensionis; etsi tamèn ex parte alia laudabilis sit. Tamèn ab exercitatione vehementiori, aùt statim à coitu, vèl balneo non sumatur; quià tunc pori corporis aperti, ac robur, non nihil dissolutum est, & in profundum penetrans; aùt calorem innatum extinguit, aùt certè deteriorem reddit.

Et nota, quod quando adest Diabetes; quæ est quædam renum affectio, in qua potio statim qualis assumpta est, per urinam rejicitur; proveniens à facultatis attractoriæ vehementia, vèl vehementi renum calore, quæ humiditates, membra irrorantes attrahit, fit sitis vehemens, quæ potu non sedatur.

Diabetes secundum Avicennam, ùt plurimùm accidit, ex caliditate ignea, qua proptèr plurimùm curationis ejus est infrigidatio, & humectatio.

Ad curandum verò sitim, utile erit si aperto ore patiens super aquam recentèr haustam anhelat; & etiam divertitur sitis, si fricationes fiant per universum corpus, quibus fumi calidi ad stomachum ascendentes divertuntur.

Hippocrates in lib. de Salubri dieta ait. Qui sitiunt, debeant se abstinere à laboribus, & vinum bibere aquosum, & frigidissimum.

Quem locum exponens Galenus docet meliùs esse præceptum

de

de vino ad extinguendum ſitim, quàm præceptum de aqua. Quia vinum facit aquam citiùs penetrare, undè humectando ſitis citiùs finitur.

Aqua inſuper poteſt propinari ad potum in magna quantitate ratione medicamenti, data enim ad ſatietatem, & ſiti, & febri confert. Undè experientia compertum eſt febrem extingui ſubitò per potum aque frigidæ. Dicunt enim Medici, quod quando accidit febris ſola, prætèr quàm cùm ea ſit indiſpoſitio alia; cui ſit poſſibile evenire ex potu aquæ frigidæ nocumentum; tunc ſi aliquis febricitans utitur aqua frigida, non ſolùm eſt impoſſibile, ùt noceat, ſed juvamentum eſt ejus magnum, ſi bibatur cùm menſura, qua poſſibile eſt, ùt ſatiet eum.

Sitim extinguunt pruna damaſcena, quæ ſi fuerint ſicca, infundantur in aqua tepida, & trito ſaccharo conſpergantur, & quæcunque humectant mitigant ſitim, ſed ſomnus penitùs eam aufert: ſitienti ultrà quantitatem naturalem prodeſt lactuca, paucus cibus, quies, & taciturnitas.

Sal famem, & ſitim compeſcit. Cardanus cùm hiſtoria Caroli V. p. 22. de ſanitate tuenda.

Exteriùs ad ſitim extinguendam applicantur unguenta refrigerantia, & humectantia, qualia ſunt oleum roſaceum, & violatum.

Cùr metuentes ſitis invadat cauſa eſt; quia collecto introrſum calore, ardent viſcera, humidumque abſumitur, ex quo frigidi, & humidi appetitio, quæ ſitis eſt.

Cùr vehementer illi ſitiant, quorum ventrem inferiorem fluxus exercet; quià humoribus deorſum collapſis, ſtomachus, reſiccatur; ſitim autèm oriri, non niſi per ſiccitatem ſolita eſt.

Cùr aſſiduè ſitiant, qui aqua inter cutem laborant, & abundant, cùm ea ſint pleni. Quoniam humor, qui in hidropicis non digeritur, corrumpitur, & ſalſus efficitur, ſtomachumque reſiccare valet, undè triſtis ſenſatio, & ſitis.

Qui ſe vario, & multo cibo ingurgitant ſitiunt. Quoniam ubi ſtomacus laborat, & æſtuat in digerendo cibo, calor nativus turbatur, & à ſua temperie decedit, hinc augetur, & auctus mittit vapores ſiccos in os ventriculi, qui exugentes humidum alimentale, ſitim inducunt.

CAP.

CAP. XVIII.

De Asthma.

Asthma, videlicèt anhelitus difficultas dicitur, & Asthma est affectus, qui respirandi difficultatem cùm magno conamine præsefert.

Per fauces intelligimus internum oris locum, ubi simul conveniunt, & gulæ, & gutturis partes, hæ interdum tumescunt, & inflamantur à calida flussione biliosa à capite, & interdum à flussione pituitosa, ex crassis, viscosisque humoribus, & talis tumor pratèr naturam, & inflammatio dicitùr argina, & causatur à fluxione calida, atque frigida.

Respiratio secundùm naturam est motus dilationis, & compressionis pulmonis prò cordis caloris conservatione. Sunt autèm respirationis partes duæ, respiratio scilicèt ac expiratio, quarum alteriùs munus est refrigerare, alteriùs verò fuliginosum expellere.

Interdùm à materia crassa inhærente facta, interdùm ab odore rerum pectus constringentium proveniens; & interdum provenit à mala intemperie frigida coarctante, vèl obstruente, vèl à materia, ùt plurimùm pituitosa in pulmone, vèl ejus brachiis inhærente.

Et quandoque provenit à ventositate contracta in membranis anhelitus.

Conferunt ashmæ allium coctum, & bettonica.

Rasis inquit, quod Ashma est veraciter, cùm in canalibus pulmonis habet humiditates multas viscosas, prohibentes ex ipsarum viscositate, ne aer trahatur quantitate opportuna.

Quando pulmo proptèr imbibitos crassos, viscidosque humores dilatari, & contrhai nequit, necessarium est, ùt quod robori deest id frequentia compenset. Undè sunt illæ anhelationes crebræ indè ea angustia pectoris, & quasi quædam ansietas, indè illud pondus, quod continuè in tali parte sentitur.

Quando diaphragma comprimitur, & impeditur in dilatatione, adestque difficultas anhelitus, si flatus sunt in causa, dolor non multum durat, quià flatus citò discutiuntur, secùs si ex abundantia materiæ proveniat.

CAP. XIX.

De Pulsibus.

PUlsus est motus dilationis, ac contractionis arteriarum: vèl pulsus est cordis, arteriarumque dilatatio, ac contractio.

Arteriæ sunt organa concava in longitudine extensa nervorum, per quas cor eventatur à suis fumis; & respirat calor naturalis; distribuuntur spiritus membris, quæ sunt post ipsum. Undè vocantur venæ, quæ calorem naturalem à corde ad omnia deferunt.

Pulsus causa efficiens est vitalis virtus, & cor ad ipsius aeris attractionem, ac ejus inutilis expulsionem. Finalis est ad cordis, & arteriarum refrigerium, & fumorum expulsionem, ne spiritui, & calori accidit suffocatio; quemadmodùm candelam accensam à fumo circumvolutam, & aeri libero non expositam suffocari contingit. Undè hæc tria pulsum constituunt, scilicèt virtus vitalis, Instrumentum, vèl arteriæ, & necessitas eventandi, & mundificandi.

Expulsio vaporum,& fuliginum fit per constrictionem in pulsu, attractio verò fit per dilatationem ad attrahendum novum aerem, ad refrigerandum calorem &c.

Pulsus velocitatis causa est multitudo necessitatis eventandi, tardus pulsus magno perficitur tempore, proptèr defectum humiditatis naturalis arteriarum, aùt qui diminuta sit necessitas &c.

Spissitudinis causa est debilitas virtutis, aùt multa necessitas, aùt multa caliditas. Spissitudo enim restaurat id, quod deficit ex magnitudine; sicuti, cùm homini necesse est rem ferre ponderosam, quam si poterit, totam una vice feret, si verò non, dividet in duas partes, & festinabit; & si non poterit, in multas partes dividet, & feret quamcunque partem, cùm velocitate.

Raritatis pulsus plures assignantur causæ; prima est ortitudo virtutis, & necessitas parva: nàm virtus fortis magnificando pulsum necessitatem superat; una etenim vice plùs de aere attrahit, quàm sit prò refrigerio debito necessarium. Undè quià necessitatem non habet, magnam interponit quietem; sicquè ractificatur pulsus. Sed advertendum, quod cùm mors appropinquat, pulsus ex frequenti fit rarus ex debilitate virtutis.

Pulsus tremulus provenit à fortitudine virtutis, & à duritie

Instru-

Instrumenti, ac necessitate aucta. Nàm tremor est motus compositus ex motu deorsùm, in quo nec virtus est totalitèr potens suprà resistentiam, sivè membri gravitatem, nec totalitèr impotens suprà resistentiam, & si necessitas non esset acuta, virtus suum conatum contrà duritiem non faceret.

CAP. XX.

De Febribus.

FEbris natura ignea est, utpotè quia corpus febricitans ardet, & fervet more ignis, undè à Latinis proptèr fervorem febris dicitur.

A' fervore caloris accidentalis accensi in corde, qui cùm spiritu, & sanguine per arterias venas in totum corpus diffunditur.

Calor naturalis, & accidentalis sunt idem subjecto, sed differunt, quia calor naturalis bonis alitur humoribus, accidentalis verò à putredine, vèl malis qualitatibus humorum, & membrorum procreatur.

Febris dividitur in ephimeram, humoralem, & Ethicam, Humoralis autèm, aùt est sanguinea, aùt cholerica, aùt phlegmatica, aùt melancholica. Humores putrefiunt proptèr prohibitam transpirationem, & transpiratio vaporum prohibetur ab oppilationibus, & oppilationes fiunt ex multitudine, & crassitie humorum, & à frigore. Undè febris accidit illis, qui post laboriosum exercitium fessi, & calidi requiescunt in loco frigido, aùt aqua frigida abluuntur, vèl liberiùs potant.

Licèt pituita, & melancholia sint humores frigidi, tamèn quando putrescunt acquirunt caliditatem per accidens, scilicèt per putredinem.

Febricitans ex labore quieti, & suavitati studeat cùm fricationibus suavitèr, cùm oleo violaceo, sivè rosaceo. Quando febris incipit cùm frigore conferùnt frictiones manuum, & pedum cùm aquavite.

Prò sedatione caloris febrilis in æstate, prodest lavare manus, faciem, & pedes cùm aqua rosata modicò aceto mixta. Seù liniantur tempora, frons, & manus cùm unguento rosato: sed non in accensione paroxismorum, ne distrahatur natura à pugna; quià linimenta frigida magis oppilant, & prohibènt resolutionem.

Itèm somnus in principio paroxismorum est malus, prohibet enim transpirationem vaporum.

In principio Febris, quæ cùm pedum refigeratione accidere solet antè accensionem, ipsi pedes maximè calefaciendi sunt; ùt calor extraneus, calorem internum ad se trahat, & nè major fiat retractio caloris ad intentiora. Et ordinarie pedes convenit servare calidos, siccosque; & præstet calefacere motu non igne, maximè enim naturalis calor, qui motù moderato excitatur: nervi quoque exercentur, emolliunturque, congelata sunt, & scernitur, quod deteriùs est, atque crassior pars sanguinis attenuatur.

Febris sine rigore est, quandò humores sunt mites ac faciles: quando verò tales non sunt, cùm rigore est; solentque isti finire cùm sudore, in quem convertuntur humiditas, & putredo humorum, aùt etiàm insensibiliter exhalant. Febres autèm continuæ non incipiunt cùm horripilatione, neque frigore; quià earum humores sunt calidiores, cùm contineantur in venis, nèc faciunt sudorem; quia putrida humiditas ob duritiem, densamquè textaturam venarum non potest exire, & nisi per sudorem resolvi.

Quartana præcipuè oritur ab humore frigido, & multo: nàm ex multo humore in corporibus hominum calor debilitatur, suffocatur, ideò dum accenditur, debilis febris generatur, quæ non potest consumere multum humorem, qui in corpore stabulatur: ideò arte febris eadem augenda est, ùt victu Theriaca veteri, vino meraco, & similibus. Auctus enim calor in febre quartana humores multos atque frigidos consumit; quemadmodùm in lucernula accidit, ubi multus ignis perflagrat, oleum citò consumitur, & flamma extinguitur. Ergò multus ignis accendendus in corpore est, ùt quod exiguum febris continet, extinguatur quartana, prò qua etiam exercitatio prodest ea ratione, nàm exercitatio exiccat, & corpus robustum facit.

Ignis definitur à Philosopho, quod sit superabundantia caliditatis, & sicùt ignis urit, & incinerat, sic etiàm febris, cùm maximum progressum fecerit.

Galenus febrem esse mutationem nativæ caliditatis quæ ad igneam naturam definit, vèl totius animalis immodicum calorem.

Avicènna item, quod sit calor extraneus accensus in corde, & missus in totum corpus per arterias, & venas, cùm lesione naturalium operationum affirmat. Et sic concluditur à Medicis, quod febris est calor innaturalis à corde exiens, & per totum corpus se diffundens, ipsiùs corporis actiones impediens, atque turbans: & quia in corporibus humanis tria sunt, scilicèt quædam subtilia

sicùti

ſicuti ſunt ſpiritus, qui ſunt partes ſubtiliores ſanguinis; quædam liquida, ſicuti ſunt humores, & quædam ſolida ſicuti ſunt membra: ideò triplex febris in corpore generatur, una quæ fit ex calefactione, diſſolutione ſpirituum, quæ dicitur Ephemera à bellua marina, quæ Ephemera vocatur; quæ eadèm die qua naſcitur, etiàm moritur: ſic iſta febris non durat ultrà diem; aùt enim ex toto deficit, aùt in putridam, & ethicam convertitur. Quidam tamèn Medici docent eàm poſſe durare, etiàm per tres dies. Putrida, quæ fit per corruptionem membrorum.

Galenus primam febrem comparat vento calido à quo locus in quo fuerit, incaleſcit. Putridam ſimilem eſſe dicit aquæ calidæ, quæ poſita in vaſo frigido, ipſum facit calefieri. Ethicam verò comparat vaſi calido, quod aquam frigidam immiſſam calefacit, membra calefaciunt cor, cor ſpiritus, & humores in Ethica.

Spiritus generatur ex ſubtiliori parte ſanguinis, & dividitur in animalem, naturalem, & vitalem. Vitalis generatur in corde, animalis in cerebrò, & naturalis in hepate.

Febres dividuntur in continuas, & interpollatas; ſi humores intrà venas putrefiant, faciunt continuas; ſi verò extrà faciunt interppollatas: Docent tamèn Medici, quod non inconvenit aliquam materiam intrà vaſa contentam facere interpollatam febrem, proptèr paucitatem ejus, ità quod interponet tempus, donec aggreget tantam quantitatem, quæ ſufficiat de novo ad febrem cauſandam.

Et ità ſimilitèr non inconvenit materiam ad extrà vaſa exiſtentem aliam à ſanguine, in loco, ſcilicèt propinquo cordi, facere cor continuè febrire.

Galenus cauſam intermiſſionis, & continuitatis febris ad locum refert dicens: quod ſi humores putrefiant intrà venas &c.

Quàm ſententiam confirmat Avicenna multis modis, & primo; cùm humores ſunt intrà venas, fumum, ſeù vaporem putrem continuata alteratione ad cor tranſmittunt, nàm foras tranſmittere non poſſunt proptèr obſtructionem; at cùm ſunt extrà venas non neceſſario petunt cor, ſed aliis pluribus viis poſſunt inſenſibilitèr tranſpirare; ſicùti v.g. fumi intrà caminum exiſtentes neceſſitate quadam camini columen ferire debent, extrà caminum verò poſiti nequaquam. Secundò humores intrà venas exiſtentes, intèr ſe, vèl ſunt continui, vèl ſumma vicinitate conjuncti, ac proptereà ex unius corruptela, facilè putredinem concepit reliquus, atque ità continuatim uſque ad cor. Tertio humores intrà venas exiſtentes, multò ſerò perfunduntur, ratione cujus copioſum fumum ad

cor

cor emictere valent; quòd satis patet exemplo lignorum aqua ma-defactorum. Secùs humores existentes in habitu corporis.

Tamèn etiàm ex materia existente extra venas possunt excitari febres continuæ: si v. g. humor sit copiosus, & per cutim transpirare non possit, & cor versus nullum impedimentum habeat.

Sanguis potest dupliciter peccare, scilicèt in quanto, & in quali.

In quanto quidem; cùm venæ sunt adeò repletæ naturali sanguine, itaut respiratio debita prohibeatur proptèr quod sanguis ebu lit, & inflammatur, & febris indè generatur. In quali verò cùm non fuerit debitæ qualitatis: in eo enim putrefactio interdùm accidit proptèr humoris admixtionem, ùt pura choleræ, & tunc redditur debito subtilior, aùt phlegmatis grossi; & tunc debito grassior.

Constrictio, sivè obstructio ex quacunque istarum causarum excitetur; sivè humor sit crassus, qualis propriè est melancholia, sivè viscidus, ùt pituita, sivè copiosus, ùt sæpè contingit in bile, & sanguine; cohibita transpiratio febrem excitat, eò prorsùs modo, quò cubicula calidiora redduntur, si foramina obstructa fuerint, teste Galeno. Et sciendum, quod retrocessus caloris ad intrà potest fieri duplicitèr, scilicèt affatim, & subitò, lentè, & paulatim: si fiat primo modo, ùt si quis in pratisdormiat, & in aqua frigida emergatur, protinùs febricitabit.

Febris licet ex sua natura, & per se noceat, tamèn aliquando opem ferrè potest; ùt quando suo calore humores crassos, ac viscidos dissipat.

Docent etiàm Medicinæ professores, quod sicùt aliis humoribus à sanguine, inest per eorum intrinsecam naturam habere periodos, ùt choleræ de tertio in tertium phlegmati de die in diem melancholiæ de quarto in quartum,ità sanguini inest continuè affligere. Nàm cùm sit thesaurus vitæ, & à natura maximè dilectus: non quiescit natura in movendo, & agitando eum, ùt ipsum rectificet, & ipsum sic conservet; quam sollicitudinem non habet de aliis humoribus. Undè ex bile, tertiana, ex melancholia quartana, ex pituita, quotidiana excitatur, ex sanguine verò continua.

Phlegma febrim excitat, quæ singulis diebus accenditur; tùm suæ quantitatis in corpore multitudine; tùm putrefactionis accelleratione, humiditatis causa; tùm etiàm evacuationis mora, proptèr suam viscositatem. Cholera verò nigra febrem facit, quæ uno die accenditur ex duobus; non eo, quod tardè adunetur,

pro-

proptèr quantitatis ſuæ paucitatem, & difficilè putreſcit, proptèr ſuam ſiccitatem; celeris autèm evacuationis eſt, quia minimè viſcoſa eſt.

Periodus ſignificat ordinatam repetitionem de die in diem; de tertio in tertium, de quarto in quartum &c.

De cauſa humoris periodorum maxima eſt intèr medicos controverſia.

Trallianus cauſam aſſignat humorum abundantiæ hoc ordine: quod cùm major ſit in noſtro corpore ſanguinis copia, quàm aliorum humorum ex eo ſit ſynoca, quæ nullum habet periodum. Poſt ſanguinem abundantiſſimam eſſe ait pituitam; & proptereà hæc parum intermittit, & facit febrem de die in diem: & Avicenna *in cap. de humorib.* dicit, quod phlegma nullum proprium habens receptaculum intèr venas, ſanguinem concomitatur, ùt neceſſitatis tempore in ſanguinem convertatur, cùm ſit ſanguis diminutè decoctus, & cùm hoc ùt humectet juncturas, & membra, quæ multæ exiſtunt motionis. Poſt pituitam bilis, & hæc paulò magis intermittens, de tertio in tertium. Ultimum locum tenet melancholia, quæ adhùc magis intermittens febrem excitat quartanam, quæ repetit de quarto in quartum.

Avezoar, quem ſequuntur ferè omnes Arabes, cauſam periodorum aptitudini humorum aſſignat ad putreſcendum ea ratione, ùt qui naturalitèr ſunt humidiores ad putreſcendum ſint faciliores; & quia omnium humidiſſima eſt pituita de die in diem accenditur. Siccifſima verò melancholia non niſi de quarto in quartum. Bilis verò, quià medium locum tenet de tertio in tertium periodum facit. Avicenna adſcribit hoc proprietati occulti humorum.

Et ſciendum, quod proprietas occulta non eſt aliùd, quàm intrinſeca quædàm inclinatio unius rei ad unum effectum, potiùs quàm ad alium.

Item, eſt notandum, quod ſicùt nimiùs motus eſt cauſa febris, ità etiàm nimia quies ex Galeno. Siquidem nimia ſegnitiæ retinentur excrementa in corpore, quæ meatus obſtruentia febrem excitant.

Idem Galenus deficientes cibos febrem excitare docet, quando aſſerit inedia bilem confluere in ventriculum, & ex hoc confluxu incendi ſpiritus, & conſequentèr febres fieri.

Principium febris judicatur à frigore extremorum, pedum, manuum, narium &c. Undè Galenus rigorem proprium eſſe aſſerit tertianæ horrorem quartanæ, & frigefactionem quotidianæ.

Rigor

Rigor est injucundi frigoris sensus, cùm inequali totiùs corporis concussione, qui fit dùm humor molestus celerrimè defertur per corpus, & tali rigore superveniente significatur materiam peccantem extrà venas impetuosè, & velocitèr expelli, qui super musculos repulsa, rigorem causat, & est signum dominii virtutis supèr materiam.

Horror definiri potest, quod sit injucundi frigoris sensus, cùm solius cutis inequali frigiditate, undè videntur pili erigi.

Humores, qui horrorem faciunt crassiunculi sunt, hinc, cùm nec per membra deambulare possint, nec per cutim transpirare, vèl consistunt juxta ossa, vèl lentè agitantur intèr utramque cutim, undè post horrorem sentitur ab ægro, veluti si ossa, essent perfracta, & ex confricatione cutis maximùs dolor adest. Et quemadmodùm si super corpus fundatur aqua frigida, vèl cadat super ipsum ignis scintilla, corpus horret, atque reduçitur ità &c.

Frigefactio fit per humorem frigidum veluti est humor melancholicus, qui est crassus, feculentus, frigidus, & mordax, & adstringens sicùt acerba, quæ Arabes poatica dicunt. Cùm ergo humor iste ab interioribus ad æxteriora movetur, facit frigus magnum, quod præcipuè experiuntur juvenes, in quibus natura fortis repellit materiam ad exteriora, ideò frigus insignè sentiunt ùt indigeant plurimis operimentis quando febricitant.

Principium ægritudinis secundum Medicos est, quando ægritudo incipit, scilicèt calor suffocatur à materia, sicùt debilis flamma à lignis viridibus. Augmenti verò est tempus, quo calor naturalis movetur ad resistendum materiei. Status verò, quo tempore est fortis pugna inter naturam, & humorem. Cùm autèm materia expellitur, quo tempore est natura perfectè vincens: tunc est declinatio.

Alii dicunt, quod inceptio paroxismorum est in hora in qua aggregatur caliditas, quæ est in corpòre, & trahitur versus cor, & pectus, sed augmentum est quando expanditur caliditas paulatim versùs extrema corporis. Horà verò status est, quando caliditas expanditur in toto corpore &c. Hac doctrina notanda est prò cibandis febricitantibus, ùt inferiús dicetur.

Et quoniam in principio hujus capitis facta est mentio de venis, & arteriis; ideò sciendùm, quod venæ, & arteriæ differunt inter se origine, officio, & constructione. Origine, quia venæ ab hepate, & arteriæ verò à corde originem habent. Officio, quia venæ crassiorem sanguinem ad nutritionem destinatum continent spiritiosorem arteriæ, ad vivificandum accomodate.

Constru-

Constructione, quia arteriæ duplici contextæ fuerunt tunica, simplicem verò à natura habuerunt venæ, eo quia crassiorem asservare sanguinem habebant.

Et quia hic est tractandum de pulsuum significationibus, ideò est notare, quod pulsus, qui continuè sentitur calidus, significat febrem continuam; qui interpollate, interpollatam.

Pulsus frigidus significat caloris naturalis extinctionem, & mortificationem, & si continuus fuerit, & sint alia signa deficientis virtutis, tunc fugiant medici, & accedant clerici.

Pulsus inæqualitas provenit, quia cum cor dilatatur, ùt refrigeretur, subintrant fumositates, vel fuligines fæbris, quæ nè cordi officiant, statim cor restringitur, & sic pulsus tardius elevatur, & citiùs deprimitur. Undè elevatio pulsus est parva, & tarda, & ejus depressio, scilicèt constrictio est magna.

Considera anhelitum in sua restrictione, & sic manifestabitur ea, quæ est arteriæ, quoniam anhelitus currit cursu pulsus.

Pulsus, & anhelitus, cujus constrictio est velox, est signum proprium febris putridæ, & maxima cognitio dictæ febris est caloris ejus qualitas, quia est mordax, quo corrodit tactum, sicùt fumus, oculos, & nares, & anhelitus est cùm fetore, cujus causa est summa putredo.

Si in acuta, & continua febre pulsu existente magno, veloci, & frequenti, subito pulsus rarus fiat sine patientis alleviatione mortem significat; quià ex hoc compræhenditur virtutem in ultimo debilitari.

CAP. XXI.

De Febri Tertiana, duplici; Quartana, Ethica.

Hippocrates docet, quod febris quocumque modò intermiserit periculum abesse significatur. Et ad faciendam febrem intermittentem, tria requiruntur, humoris videlicet tenuitas, viarum aperitio, & venarum robusta expulsio. Et ad continuam generandam imbecillitas venarum humoris crassities, & viarum adstrictio.

Quando peccat bilis sincera, vel intrà, vel extra vasa, tunc oritur febris tertiana exquisita, ac legitima, quando vero non sin-

cera putrescit, sed mista simùl cum aliis humoribus, tùnc fit febris tertiana nota, quæ vocatur etiam spuria.

Natantes, & hi qui dormiunt in aere frigido facilè corripiuntur febribus putridis, nàm ab externo frigore occluduntur pori cutis, quibus occlusis detinentur fuliginosa excrementa, quæ continuæ per transpirationem ex ipsis poris expelluntur, & sic accenditur putredo, undè oritur febris putrida.

Tertiana ùt plurimùm terminatur sudore per totum corpus fluente, vèl vomitu, juxtà illud Galeni. Tertiana vomitibus, & excrementis biliosis, & sudoribus toto corpore fluentibus finiri debet. Quia humor tenuissimus si modò ascendit, vomitum irritat, si descendit, alvum movet, si ad meatus cutis, sudorem copiosum ob sui tenuitatem elicit.

Crisis dicitur vehemens motus morbi, cùm infirmus ad mortem, vèl ad salutem deducitur.

Crisis indicatio dicitur ab Hippocrate, ùt cùm morbus judicatur an sit lætalis, vèl non. Undè quidam dixere, quod crisis est subita mutatio ad bonum, vèl malum, vèl ad melius, vèl ad deteriùs.

Tertiana tollitur sublata putredine à qua pendet, humore scilicèt bilioso obstruente, qui non crassitie, neque viscidítate obstruit, sed multitudine. Et prò victu in ejus cura cibaria debent esse, quæ refrigerent, & humectent, ut lactuca, endivia, aqua ordeacea, & similia, & vinum tenuè aquosum quod sit concedendum.

Laborantibus tertiana febre prodest sumere quotidiè micam panis lotam in aqua, cum sacchard, & cibus detur tribus aùt quatuor horis antè accessionem, dentur etiàm de oleribus, lactuca cù m aceto, & cibi frigidi, & temperati.

Tertiana febris dupla fit, quando cholera est in duobus locis distinctis putrefacta, quando cholera, & phlegma sint in diversis locis locata, & simùl, vèl successivè putrent. Hinc febri prosunt lac mulieris, & tantundem olei rosati, cùm modicò aceto mixtum dorso, & circum tempora linitum. Item unguentum rosatum circà tempora, & super epar linitum.

Prò febre sinocha de putrefacto sanguine facta prodest manè, & serò fomentare pedes, & crura in aqua calida, in qua coctæ sint violæ, rosæ, lactuchæ, malvæ, & ordeum, & posteà ungantur plantæ pedum, & præcordia ex oleo rosato.

Cùm febris fuerit pestilens, & sinè maculis sanguineis, tùnc nullo pacto est sanguis mictendus, quià venenum si sanguis mittitur intrà magis trahitur, & de facili languens interficitur. Si ve-

rò

rò febris fuerit cùm infectione maxæ ſanguineæ, quod cognoſcitur ex ſymptomatibus, ùt ſi ſuperveniat bubo, poteſt ſecari vena ad minorandam materiam, qua minorata, & exonerata natura, poterit meliùs pugnare contrarium venenum, & malignitatem. Cùm autèm febris fuerit maligna ab interna,& venenata putredine, tùnc ſemper, ſivè fuerit cùm maculis, ſivè ſinè maculis, eſt ſecanda vena, quià arguit infectam eſſe aliquo pacto maxam ſanguineam. Ità Hieronymus Pulverinus.

Galenus facit differentiam intèr duas tertianas, & duplicem tertianam. Nam duplicis tertianæ cauſa ab una tantùm minera provenit, ſed duarum tertianarum cauſa à duabus mineris loco diſtinctis efficitur.

Cùm duplex ſit genus febrium ſanguinis alterùm à putrefacto ſanguine, alterùm à non putrefacto, ambò ſub uno tantùm nomine ſinochii continentur.

Undè dicimus ſinochium eſſe febrem acutam continuam ex ſanguine in venis putrefacto ortam, alteram verò eſſe febrem acutam ex ſanguine in venis non putrefacto, ſed in multa copia peccante.

Cauſæ ſanguinearum febrium ſunt,obſtructio,repletio,multitudo exercitii non conſueti laborioſi, conſuetæ evacuationis, retentio humoris craſſi, & crudi copia ſanguine admixta.

Senibus non acutæ febres accidunt, & ſi quandò accidat talis febris qualis juvenibus, omninò hæc ad ægrotantis interitum terminatur; quoniam indicium eſt immenſam quandam eſſe cauſæ febrem facientis magnitudinem, ità Avicenna cùm Galeno.

Quartana febris generatur ab humore melancholico, vèl ſucco melancholico, nigro hoc eſt fece ſanguinis frigida, & ſicca. Curatur calefacientibus, & humectantibus. Quartana ſimiliter, quæ ab humore aduſto, vèl bile aliqua aſſata, & vèl ſanguine ſuper aſſato genita fuerit,refrigerantibus,& humectantibus evincitur.

Febris ethica in corde principaliter, & in omnibus membris eſt fixa, & dicitur ethica, ideſt habitualis, quia de difficili eſt removibilis, ſicùt habitus, qui eſt de difficili mobilis.

Corporibus colericis, & quæ exuberantèr ſunt ſicca, macra, & viventia in multò exercitio, & vigilia exhibendus eſt cibus in paroxiſmo, & antè, & quacumque hora occurrit medicus, ſi non ſunt cibata,aliàs accidit eis ſincopa,& moriuntur ſubitò in ipſo paroxiſmo; vèl ſi ſint fortes, & apti reſiſtere ſincopæ cadunt in ethicam. Et ſicùt in calce non extincta non apparet notabilis calor, & tamèn ſi ſupèr fundatur aqua ebullit, & ardet eccidentiſſimè,

eodem modò in ethico caliditas ſicca habituata in radicalibus ſuperveniente nutrimento frigido, & humido, actualitèr fit ſenſibilis, & ebullit, & apparet major.

Oſcitant antè febres ægrotantes. Nàm quemadmodum excacabis vapor elevatur multus, fervente in ipſis, & ebulliente aqua, ità ex eis, quæ in corpore aſcendens vapor, & excitat, & contorquet corporis maſculos, atque ità hiatus, & oſcitationes fiunt.

Et quià per aerem frigidum prohibentur vapores groſſi à ſua reſolutione, & fit opilatio in poros cutis, fit converſio eorum ad intrà, & ſic augetùr febris in febricitantibus.

Hippocrates *Aphoriſm.* 28. dicit malum eſſe, ſi faciès egri citò conſumatur pluſquam oportet, vèl nihil conſumatur, quoniàm alterùm mortem, alterùm indicat morbi longitudinem. Itèm ſi bilis prædominabitur acutum eſſe morbum, & citò terminaturum, docet Galenus. Contrà fore morbum longum oſtendit craſſities, & tenacitas materiæ pituitoſæ ſcilicèt, vèl melancholicę. A' viribus ultimo deſumitur cognitio ſpeciei morbi, quià ſi vires ſubitò collabuntur, ſignum eſt febrem acutiſſimam eſſe, ſi vires morbo durent validè, morbum forè diuturnum ſignificat.

Itèm pulſus magni celeres frequenteſque acutam eſſe febrem oſtendunt, tardi verò, & rari longam, & cronicam. Et ſi qui febre laborant denſa textatura fuerint, & meatus anguſtos habuerint, ii profectò, non de facili à febre, & citò liberabuntur; ratio eſt quià concluſus calor, qui non poteſt expirare, diù durat, & excrementa non habent viam, per quam effundi poſſint.

Modò aſſignanda eſt cauſa anticipationis, & poſtpoſitionis febris, prò quo ſciendum, quod materia morbi quandoque eſt uniformis, ſcilicèt quando eſt æqualiter groſſa, ſeù viſcoſa, vèl ſubtilis, & æqualitèr frigida, vèl calida; & quandoque eſt difformis; ſcilicèt una pars eſt ſubtilis, & alià groſſa, vèl una pars eſt viſcoſa, & alia non, aùt una pars eſt calida, & alia frigida. In materia uniformi paroxiſmorum anticipatio ſignificat augmentum, ſed ſi fiat poſtpoſitio, ſignificat declinationem, quia paucitas materiæ eſt cauſa elongationis periodi, & quià materia pauca ferè relinquitur à natura, & poſtpoſitionem facit.

Et ità dicendum eſt de materia calida, reſpectu frigidæ. Quia ſi materia frigida &c. Univerſaliter tandèm docent medici, quòd anticipatio febris denotat materiam febrilem concoctam, & per conſequens magis, & priùs mobilem, & purum durabilem, & ſic eſt bonum ſignum; quandò verò poſtponit, vèl variat, denotat hoc provenire ex humoribus, qui duriores, graſſiores, & conden-

densiores sunt, & magis frigidi, qui non ità de facili moventur & sic febris plus durat.

Quandò febris nullam quietem habet, & infirmum nutrire necessè sit, eligenda est hora, in qua sanus comedere solebat, & conveniens dici tempus frigidum, utpote aurora in qua aer est subtilis, & clarus. Quia frigida aurora calori febris repugnat.

CAP. XXII.

De Febri Pestilenti, & Peste.

FEbris pestilens definiri potest, quod sit calor accensus in corde, & diffusus per universum corpus ab uno, vèl pluribus, vèl omnibus humoribus putrescentibus, intrà venas continuè, malignè, & contagiosè.

Pestilentialis febris sæpè tertianarum ordinem tenet, corrupta scilicèt bile. Sæpe quartanarum corrupta melancholia: quotidianarum, corrupta pituita, & synocarum, corruptis indifferentèr humoribus omnibus. Prima conditio pestilentiæ est malignitas. Malignum autèm dicitur à Galeno, quod vitæ periculum inducit. In quibusdam enim febribus maxima est fraudolentia, quod dùm mites esse videntur, læthalia nocumenta apportant.

Seneca causas lucentissimè explicat, quare post terremotus, & ejusdem terræ aperturas, fiant pestes. Una est; quiá aer diù cohibitus intèr latebras terræ corrumpitur, qui post terremotum exiens, necessariò aerem inficit.

Quod aer diù cohibitus venenosus evadat, facilè colligitur ex foveis frumentariis, ubi visi sunt homines statim interiisse, qui imprudentèr aerem illum hauserunt; dùm fovea aperiretur.

Alia causa est; quoniàm in cavernis terræ sunt frequentissima stagna, quæ longa quiete, ac desidia currumpuntur, ubi fiunt terremotus flatus venenati, & infecti exeuntes aerem vitiant. Tertia est multitudo exalationum ignitarum, quæ latent in terræ speluncis, quæ ubi postmodùm expirant aerem vitiant.

Sed notandum hic pestem invehi multotiès proptèr hominum negligentiam, qui in emundandis viis, & expurgandis Plateis sunt tardiores, ùt observare licèt in quibusdam civitatibus, in quibus pestis sepè viget.

Cibi quoque, & potus sui natura faciles ad corruptelam febrem pestilentem excitant. Ave-

Avezoar inter causas externas pestis posuit Deum immortalem, & certè negari non potest, quia Deus ùt in lege veteri habetur proptèr peccata hominibus pestem immittebat.

Galenus docet, quod cùm aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodicè conversa fuerit pestilentes morbi exoriuntùr velùti carbunculi &c. Valesius tamèn causã pestis inquit esse frigiditatem: frigiditas enim humores conculcat, & impedit ne malorum humorum fiant debitæ resolutiones, & cùm nos aerem cùm insigni humiditate, & caliditate trahimus tamquàm præsentaneum venenum illam carpimus.

Item intèr causas pestis recensetur Deus *Test. Gal.*, & in lege veteri plura habentur exempla, & testimonia. Ante Christi natale Anno 735. pestis quædam intèr Romanos, aliosque populos viguit, quàm Deorum ira contigisse Plutarchus refert in vita Romuli, & post Salvatoris adventum notissima est pestis tempore D. Gregorii cùm apparitione Angeli sanguinolentum ensem abstergentis. Anno rursus 260. à Christo Domino nato, Romam pestis validissima occupavit, ùt una die quinque millia hominum perempti referantur in vita Galeni Imperatoris.

De peste. Epidemia plus advenit tempore æstivo, aùt autumnali, quàm aliis temporibus, quia aere existente subtili à caliditate precedenti est magis aptus recipere omnem impressionem vaporum: & quia cùm venti multiplicentur asportant secùm malos vapores elevatos ex malis locis, remanendo in aere causam corruptionis pestilentiæ. Et quia corpora pluribus superfluitatibus multiplicantur, & virtutes naturales sunt debilitatæ, proptèr diversitatem temporum resolventium calorem naturalem &c.

Corpora quæ habent poros strictos naturaliter, & non sunt opilata, minùs læduntur tempore epidemiæ, quia paucus aer per poros attrahitur, & ille paucus pauco tempore retinetur, quia non sunt opilata, nec repleta. Corpora verò calida, & humida, quæ habent poros naturaliter latos, & opilatos magis offenduntur ex opposita ratione. Moniales, & incarcerati tempore epidemiæ magis conservantur intèr alias rationes, quia non fatigant se in aere detecto &c.

Intèr alia pestis signa connumeratur; quando mures, & alia animalia subterranea terrarum latebras fugiunt, & in superficie apparent, & ratio est, quia hoc faciunt ob quandam venenatam qualitatem, quàm intrà terram sentiunt, quæ de facili aeri communicatur, & sic signum pestis est.

Mor-

Morbilli varii, cùm signa sint deterrimæ putredinis, quæ ab aere fit, vèl aeri communicatur, pestem indicant.

Aetius advertit, quod si aer nòs ambiens pestilens reddatur, volucrum generis prior interitus erit, si verò ex quavis de terra exalatione id contingat, quadrupedum animantium prior corruptio fiet. Quod si ex aquarum vitio id contingerit, pisces emori videbuntur. Cæterùm si neutrum adfuerit judicari potest ob hominum alimenta, vèl contagiosas vestes id morbum accrescere. Et quando ros, quæ è cœlo descendit, si in pane, vèl aliquo alio obsonio, cani offeratur, eo comesto moriatur, signum est pestem adesse.

Aliùd signum est, si hominum corpora præter consuetudinem ignavia sint, & pigra, quia cùm aer pestilens ea ingreditur labefacit vires, undè docent Medici, quod quando grandis in corde fuerit infectio, ùt in febri pestilentiali, natura præterita, in nullo tentat insurgere contrà morbum, sed corpus velut in sanitate gubernare conatur. Et ideò urina sæpè apparet bona, & pulsus bonus, & infirmus velocitèr moritur. Galenus docet, quod cùm partes corporis solidiores, ignitiores evadunt, febres ethicas nominamus.

Intèr causas febris ethicæ connumerantur errores medicorum, qui victum nimis tenuem instituunt, aùt aquam frigidam in inflammatione diaphragmatis prohibent &c.

In curatione hethicæ victus sit humidus, & frigidus, qualis est pisana hordei, carnes caponum, ova sorbilia, caseus recens &c. Potus sit aqua hordeacea, vèl vinum album. Absint motus, vigiliæ, superflua repletio, & jejunium.

Hethica in principio est difficilis cognitionis, quia parum, vèl nihil à sua naturali dispositione corpus permutatur, sed est facilis curationis, quoniam virtutis robur vehementer tollerat refrigerationem, at cùm exquisitè consistit, non modò eam curare est difficile, sed etiàm impossibile, dicit Galenus, tùm ob nimiam consumptionem, tùm ob eorum imbecillimam virtutem.

CAP.

CAP. XXIII.

De Hora, & Modo Cibandi Febricitantem.

ACcidentium febris quædam sunt ei essentialia, ùt dolor, inquietudo, rigor, & hujusmodi, & in his à cibo est abstinendum. Malum etenim est nimium, cùm ægrum in dolore, aùt morbi acumine positum, jus, aùt cibum accipere permittitur, etiàm si deficere videatur infirmus. Quia illa defectio est per aggravationem, & non per resolutionem, quæ dicitur vera defectio. Quædam sunt extrinseca, & quæcunque evacuatio cursum naturæ transgrediens, ùt est per sudorem, aùt secessum, aùt vomitum, & super omnia per fluxum sanguinis narium, & in his, quia accidens prosternit virtutem naturalem, vitalem, & etiàm animalem ratione resolutionis, dandus est cibus.

Hora igitur declinationis est cæteris convenientior ad cibandum, & hora principii deteriori. Nàm nocumentum ex principio cæteris temporibus communicatur, & si tùnc dabitur cibus, natura occupabitur in dirigendo eum, & prohibebitur à digestione humoris, & ejus expulsione; & sic ægritudo prolungabitur, & confirmabitur. Principium, & status ergo sunt horæ nequiores paroxismi ad cibandum.

Corpora cholerica cùm non cibantur in ipso febris principio, aùt in hora status, quæ est pravior, tùnc si sunt debilium virium supervenit sincopis, & moriuntur in paroxismo: si verò fortium virium, cadunt in extenuationem.

Attamen corpora cholerica oportet in principio cibare; aliàs accidit dolor stomachi, capitis sincopa, & hujusmodi. Et eja necessè est in principio febris cibare eos qui patiuntur ephemeram ex labore, & angustia.

Itèm quando morbus in suo vigore consisterit, tùnc victu tenuissimo utendum est, quia crassiorem natura concoquere non posset, quæ à morbo, & à victu devicta decumberet, & si à morbo, cibum assumens, quis non corroboratur, pluri alimento uti significatur.

Aphor. 10. dicit Hippocrates. Nam pura corpora quantò plus nutris, tantò magis lædis. Tamèn quæ infirmus anxiè expetit concedenda sunt, etiàm si non ità accommodata videantur.

Idem

Idem enim Hippocrates sic scriptum reliquit. Paulò deterior cibus, & potus, verum jucundior, melioribus quidem, sed injucundioribus præferendus est. Quam sententiam exponens Galen. quæcunque inquit, cùm voluptate assumuntur, ista ventriculus arctius amplexatur, & faciliùs concoquit. Quæ displicet refugit, undè nausea, & vomitus.

CAP. XXIV.

De Potu Aquæ, & Vini in Febribus.

IN Febribus de materia frigida, stante digestione, securè potest dari vinum.

Itèm & in principio putridarum phlegmaticarum, quia non timetur ex eo inflammatio, & faciet quandam suavem calefactionem digerentem materias frigidas, & dilatantem poros.

Item in partibus Italiæ, & alibi, ubi sic est cōsuetum bibere vinum à principio nativitatis usque ad finē vitæ, liberiùs concedi potest. Undè non est sic coarctandum, vinum apud nos nostri. febricitantibus, ùt faciunt Arabes suis Saracenis, qui non sunt ità vino assueti, & ideò præcepta eorum non sunt sic strictè observanda, sicut quidam austeri observant Medici. Undè Hippocrat. 2. Aphoris. Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint, insuetis minùs molestare solent.

Et ideò ea præcepta, quæ nobis Saraceni tradiderunt, ùt Avicenna, nequaquam ad usum nostrum contrahi debent. Hippocrates tamèn ipse docet, quod si cùm febre capitis dolor, vèl delirium adfuerit, omninò à vino se abstineat eger, & loco vini, vinum aqüosum offeratur; vinum enim præpotens, & vinosum vehementèr calefacit, & exiccat, & ea propter eà in febribus, & morbis acutis nullo modò conferat.

Febre existente intensa de materia cholerica, securè datur aqua frigida, neque est alia melior. Quia ex inflammatione febris timetur corporis arefactio, & tandèm mors. Ideò melius est exhibere, quàm non, & permittere, quod aposthema aliqualitèr augeatur, & materia incrudetur, quàm quod corpus moriatur. Undè in febribus arsivis multæ inflammationis, virtute consentiente, debet exhiberi magna quantitas aquæ frigidæ in una vice, & non pauca sæpè. Quoniam per exibitionem ipsius in mul-

ta quantitate, juvatur natura ad expellendum eradicativè subitò materiam ipsam per fluxum, sudorem, viam urinæ, ùt per vomitum, & extinguitur calor præter naturam. Pauca autèm pluriès exhibita, inflammatur, & ad naturam choleræ convertitur.

Quæ aqua omni vitio carere debet, perspecto etiám ne aliquod impedimentum adsit, ùt puta ætas senilis, pectoris angustia, & nativi caloris imbecillitas, & similia, & hora, qua eger mitiùs se habet, debet dari.

Quando in febre arsiva eger multum desiderat aquam frigidam, si medicus eam pati fecerit, fiet digestio mala proptèr nimietatem combustionis, & tùnc exhibitio aquæ frigidæ non valebit. Meliùs est ùt convertatur febris in febrem lentam, & longam, quæ curari possit, quamquod eger subito moriatur.

In quartana convenit vinum album tenuè, in vigore medium; quod habet linfari secundum exigentiam potentiæ infirmi ætatem, consuetudinem, tempus anni, & hujusmodi. Aqua cruda non competit, quià materia quartanæ magis induraretur, cùm sit humor frigidus, & siccus compactus, & sic ægritudo pro longaretur.

Decoctio aquæ partes vehementèr rarificat, donec subtilioris substantiæ fiat, ut ab ea separari possint partes graves, atque terrestres, undè remanet aqua pura, simplici propinqua, & ideò sanior efficitur prò infirmis.

CAP. XXV.

De Cibis, & Fructibus etiàm prò Febricitantibus.

QUando cùm domesticis, & virtuti familiaribus succurrere poteris tuis infirmis, nunquam ad Silvestria procedas, ùt quidam austeri faciunt medicorum, & adverte, quod austeritas in nimia cibi subtiliatione, non raro èst causa conversionis putridarum in hæticam.

Cibus est qui corpus nutrit, venenum quod corrumpit, medicamentum, quod non nutrit, sed corpus immutat.

Biscottus exteriùs, & intùs in cavitatibus marcescit, humido extracto à calore vicino, & ubi plurimus humor fuerit, & crassus maximè marcescit.

Quanto alimentum corpori alendo magis est simile, tanto minus

minus natura in aſſimilando laborat; & caro fit ex ſanguine concreto.

Senes ſepiùs ſunt cibandi, qui ſexageſimum annum excedunt, quia cùm eorum calor ſenilis parvus ſit, dividere convenit cibum, ùt diviſum concoquere poſſit, quod integrum non poterat.

Poma dulcia, & ſaporoſa, benè matura, & cocta, attento magno appetitu ad ea, in febribus etiàm putridis dari poſſunt; Quia tunc ſtomachus ipſa benè complectitur, & avidè, & benè digerit, & ejus malitiam ſic magna ſui ex parte corrigit.

Poma, & pira cocta, cùm aniſo, & cùm ſaccharo, corrigenda ſunt, ſic enim ponderoſitate ſua ad fundum ſtomachi cibum impellunt, & ipſius os propria frigiditate condenſant, & fætori, qui ab ipſo ſtomaco provenit mirabilitèr reſiſtunt.

Perſica debent ante eorum commeſtionem per duos dies saltèm ad ſolem dimitti, ùt eorum ſuperflua humiditas reſolvatur, ratione cujus de facili recipiunt putrefactionem. Aliqui in ferventi aqua ea priùs irrorizant.

Frigida acetoſa conſtringunt, undè vapores ad intrà clauduntur, & ingroſſantur, & prohibent eorum debita expulſio, & ſic patiens periculum incurrit ſuffocationis.

CAP. XXVI.

De Somno, & Vigilia.

SUppoſita definitione ſomni infantibus proptèr elevationem multorum vaporū ad caput, accidit profunditas ſomni. Quod intelligendum eſt de omnibus etiàm his, qui ſunt in ætate adoleſcentiæ proptèr ipſos abundare multa humiditate.

Somnolentia evenit elevatis ad cerebrum copioſis vaporibus, ibique refrigeratis. Curatur excitantibus, vaporeſque diſcutientibus, ùt clamoribus, digitis, pedum, ac manuum ligatis, aùt contorctis &c. Itèm ſomnus removetur cùm aceto calido naribus admoto, vèl in angulis oculorum poſito, & cùm lotionibus.

Habentes capita groſſa, & gracilia colla, ut dicit Phil. multum dormiunt, quia cùm amplior ſit in eis locus cerebri multum ibi capitur, multuſque vapor coagulatur, qui cum tàm citò non poſſint deſcendere, multum durat ligamentum ſenſuum.

Evenit deſiderium dormiendi laborantibus, non quando actualitèr laborant, ſed ceſſantibus eis à labore; eò quod dùm actua-

litèr laborant, fumi ascendentes à stòmacho ad cerebrum sunt valdè calidi, & subtiles, ideò sunt magis apti ad exalandum per poros apertos in labore, quàm ad occupandum cerebrum, cùm autem cessamus à labore, infrigidantur partes exteriores, & clauduntur pori, & non possunt fumi evaporare, ideò tendunt omnes ad cerebrum, & manent ibi, undè fiunt grassiores. Et consequenter possunt magis oppilare cerebrum, & ligare, itaùt non derivetur ab eo virtus ad partes sensitivas, & somnum causare.

Nonnulli ubi se somno tradiderint confestim sudant. Quia calor intro evocatus per somnum, humores diffusi per cutim elabuntur, & id maxime accidit si corpus excrementis repletum fuerit.

Undè Hippocrates, sudor multus absque causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat, si verò cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet, quod corpus evacuatione indiget.

Somnus senum quacunque hora diei bonus est. Longa delectatio, poma sub prunis cocta, vinum dulce, lac, lotio pedum antè cenam, vèl à pauco cibo post cenam, letus nuncius post tristitiam, & blanda verba, solent somnum parere, & ova etiam conciliant somnum.

Vigilia est familiaris senibus, non solum ob siccitatem, sed ob abundantiam cruditatum, & humorum acrium, & serosorum. Vigiliæ si sint ex cholera rubea, prodest lavare caput cum aqua, ubi papaveri, lactucæ semen, & violæ sint cocta, & cùm his ungere frontem, & tempora. Itèm, & sternutatio cùm oleo violaceo & lactucæ succo, & si vigiliæ in frenesi adsint, prodest, si pannus subtilissimus, & vetus infusus in oleo rosaceo, vèl violaceo, aceto, lacte mulieris &c. Super totum caput ponatur.

Somnus immoderatus, & profundus inducitur à vaporibus crassis phlegmaticis, qui opilant arterias capitis, & impediunt decursum spirituum, quorum privatione cerebrum congelatur, & languens moritur, nisi expergiscatur, & vigilet. Divertuntur vapores clamoribus, punctionibus, & si nares aceto abluantur. Ad provocandum verò somnum prò his, qui dormire non possunt, prodest biscotta, quæ post caseum ex aqua lactis colligitur.

Qui se multo, ac præsertim vario cibo ingurgitant somnum ægrè capescunt; quia, ùt ignis congestu lignorum obruitur, & suffocatur, sic calor à copia, & varietate ciborum tardè concoquit, & sic tardè oritur evaporatio.

Propria causa vigiliæ est quidquid exagitat nimis spiritum animalem,

malem, ùt ira corporis, dolores vehementes, magna caliditas, aùt ſiccitas cerebri, & abundantia acrium humorum.

Ad conciliandum ſomnum nares, & tempora oleo violaceo inungantur.

Melancholicos, & vehementer æſtuantes inſomnia tenent: Alteros, quia refrigeratus humor penitus eſt. Alteros, quia nullus eſt, aùt certè minimus.

Schola ſalernitana docet, quod ſomnus meridianus eſt cauſa febris, quia acres, & fumoſæ exalationes, quæ vigiliis diſpergi ſolent ſomno diurno non modò retinentur, ſed etiàm augentur; iis itaque retentis, ac una cum ſpiritibus permixtis; contingit ùt calor indè extraneus collectus, febrilis fiat.

Cum humores ſint in corpore, qui ejici poſtulant, ùt in laborantibus tuſſi, & gravedine, nocebit ſomnus, & debilitabitur calor à materia retenta. Cæterum ſomnus eſt vita ſenum, recreat enim vires, laſſos erigit, corpus impinguat, coctiones adiuvat, hilaritatem, & gaudium præſtat.

Et pigritics ex eodem fonte manat. Groſſi namque, & vaporoſi ſpiritus plus, eoque cerebrum humectant, eo au em humectato, nervi quoque, qui à cerebro propagati per corporis partes ſe diffundunt plurima humiditate replentur, undè pigritia ſequitur. Somnus tamèn meridianus conceditur, ùt docent alii Medici, ſi uſitatus ſit, & conſuetus, & cum anteà nox fuerit in ſomnis, & incommodè tranſacta. Qui metiendus eſt prò natura, & etiàm prò copia cibi aſſumpti. Nàm certa regula præſcribi nequit.

In Eſtate ſotularibus, & caligis omninò remotis, eſt dormiendum. Nàm ſi hæc retineantur, fumi reflectuntur ad totum, proptèr quod turbatur corpus & impeditur per ſepè digeſtio. Et ſicuti à cæna non ſtatim confugiendũ eſt ad libros, niſi fortè hiſtoria ſit legenda, vèl aliquid jucundum, & cognitu facile: undè ſpiritus non avocentùr, & concoctio impediatur, ità non niſi poſt ſaltèm unam horam ſomnus eſt admittendus, ac tùnc aùt ſtando, aùt domi leniter deambulando, de jucundis rebus, ac gratis eſt colloquendum.

Major pars medicorum tenet, quod prius ſit dormiendum ſuper latus dexterùm, nàm melius cibus ad fundum ſtomachi pellitùr, cum magis verſus dexterum latus declinet. Et nota quod epar exiſtit ſub ſtomacho, veluti ignis ſub lebete. Cumque digeſtio fuerit quaſi finita, ſuper latere ſiniſtro debet qui dormit jacere. Nàm tunc chilus tanta caloris intentione non indiget, & potiùs

tùnc ſub latere dextero in fumoſitates converteretur, ſicuti in ſtomacho calido de re facilis digeſtionis contigit. Poſt expergefa-ctionem reſupinè jacere laudatur. Quia membra omnia meliùs quieſcunt.

Pervigilium fit calefacto, & exiccato cerebro; Et quia per-vigilium eſt coctionis ciborum impedimentum, hinc vigilanti vox aſperior redditur ex cruditatibus, quæ à capite diſtillant.

Cùm ſomnus per opilationem viarum primi ventriculi cere-bri fiat, cujus potiſſima cauſa eſt frigiditas, & humiditas appo-ſitam ſibi vigiliam per deoppilationem viarum illarum, aùt aperi-tionem neceſſe eſt fieri. Et hujus cauſa generalis exiſtit ſiccitas, atque caliditas, potior tamen eſt caliditas, quia ſpiritus igniendo mobiles valdè eos efficit.

Supinus cubitus eſt vitandus, nè peccans humor in poſterio-rem partem, dorſalem medullam deferatur. Ea enim pars cùm ma-nifeſto careat meatu, quo materia excernatur, periculum eſt, nè ad nervos penetrans convulſionem, aùt paralyſim generet.

Somnus tandem concoctionem adjuvat, & cerebrum robo-rat, & vaporum reſolutionem perficit.

CAP. XXVII.

De Fame, Siti, Appetitu Canino, & Boliſmo.

ARiſtoteles 2. de anima docet, quod fames eſt appetitus calidi, & ſicci.

Sitis frigidi, & humidi. Per ſiccum oportet intelligere ſo-lidum, per humidum liquidum.

Omne refrigerans appetitum confortat, quæ frigiditas par-tes ſanguinis per ſtomachi venas coagulat, & ſic exinanit omnia loca anteà plena, quæ dùm natura implere queat, appetitum re-plentium generat ciborum.

Calor autèm facit è contrà, cùm enim liquefaciat, & diſ-pergendo loca impleat exinanita, neceſſe eſt faſtidium faciat.

Acetoſi humores, ſi ori ſtomachi dominabuntur, creſcit ap-petitus, quia acetoſitate ſua pungunt, & commovent ſtoma-cum, & quià cum ſua frigiditate conſtringitur, adeò cibus, ùt in parvo ſtomachi loco conglobatus conſiſtat: undè reliquis par-tibus vacuis exiſtentibus natura appetit cibum, quo impleantur.

Proin-

Proindè omnes antiqui cum Galeno, & Hippocrate concordant, & dicunt. Omne acetosum appetitus est augmentatiuum, & omne untuosum, calidum, & dulce, sicùt butirum, lac, caro crassa, & similia; cito, & velociter est saturativum. Quia venas inflat, & implet, & calore membrorum concavitates fulciuntur.

Calor etiàm cùm corpori dominatur, poros aperit, & humoribus dissolutis, corpus necesse est, ùt desiccetur, & sic appetitus canini est causa, & in tali casu prodest, si patiens ungatur ex oleo rosato, vèl violato, si quiescat, & dormiat. Si autèm proveniat proptèr defectionem contentivæ, qua cibi in stomacho non morantur prodest vinum fortè, & calefactiuum. Quia hoc vinum citò in sanguinem convertitur, & impletis ex eo venis, corpus nutritur, & confortatur.

Quatuor sunt, quæ ad corporis viventis constitutionem materialitèr concurrunt, scilicèt calidum, frigidum, siccum, & humidum. De his quatuor partibus continuo actione caloris naturalis consumitur, propterea facultas vegetativa continuò has easdem quatuor substantias reparare, & reproducere appetit, qui quidem appetitus restaurationis partium calidæ, & siccæ fames dicitur; frigidæ verò, & humidæ sitis. Si verò plùs humidi, & frigidi dictorum deperdatur, quia calor etiàm præternaturalis ad dictarum partium perditionem concurrat, tùnc appetitus restaurationis major excitatur, atque sitis præternaturalis à Medicis appellatur.

Medicorum quidam volunt, habentem appetitum corruptum appetere similia, alii verò contraria; dicunt namque primi, quod si tales appetunt sicca, humor siccus erit in causa scilicèt melancholicus. Si appetunt acetosa, acetosũ phlegma, vèl melãcholia acris, sive acetosa &c. At Avicenna dicit, quod si stomachus pinguia desiderat, illic est ei stipticitas, & siccitas. Si natura declinat ad frigida, tùnc illic est caliditas. Et si appetit res calidas, tùnc illic est frigiditas, & si appetit incisiva, acetosa, tùnc illic est humor viscosus.

Quod autèm aliqui appetunt fætida provenire potest, quia in eis quædam qualitas virtualis continetur contraria humori corrupto existenti in corpore.

Frigiditatis ventriculi causa interna est materia melancholica, materia pituitosa, materia flatulenta. Nàm hæ materiæ sua frigiditate reddere possunt ventriculum frigidum. Externa causa esse potest frigidus cibus, frigidus potus, frigida medicamenta.

Sic-

Siccitatis ventriculi caufa interna eft hæpar, dùm calore fuo immodico fanguinèm confumit. Externa caufa eft dicta, funt cibi conditi, Aromatici, cibi falati, agrumina, & fimilia. Caufa humiditatis copiofioris eft fanguinis copia peccans, pituita humidior, & fimilia. Externa, ùt cibi humidiores, fructus, potus aquæ &c. & ejus intemperies calida indicatur; fi noceant tantum calida, & fi frigida juvant.

Res groffæ, & vifcofæ faciunt fitim, quià natura quærit ipfos expellere lotione, incifione, & fubtiliatione, ad quæ peragènda quærit potum in auxilium.

Subita fitis ablatio finè manifefta caufa in febricitante peffima eft. Quia fignificat virtutis fenfibilis mortificationem.

Modò dicendum eft de inappetentia, quæ ex multis caufis generatur, aùt quià corpus non evacuatur, nec ulla fit refolutio, aùt quià omnium operationum inftrumentum, nempè calor læditur, vèl quià peccatur in cibis, quantitate, qualitate, aùt condimento. In febri inappetentia fit ore ventriculi repleto, & confpurcato humiditatibus excrementitiis, vaporofis fcilicèt, vèl humoralibus.

Plerique cibos concoctu facile non concoquunt, concoctu verò non difficiles valenter concoquunt. Nàm qui calore abundant naturali per coctionem eos adurunt, eò quià agens inproportionatum eft paffo. At verò concoctu difficiles concoquunt, eo quià calor vegetus correfpondet paffo.

Aliqui priufquàm cibos edant, non appetunt, quam primum autèm edere incipiunt, ftatim appetunt. Et exadverfo alii priufquàm edant appetunt, ubi verò edere incipiunt, ftatim appetitus fedatur. Avicennas dicit hoc provenire, quià per cibos novitèr ingeftos, abftergitur materia illa, quæ in tunicis ventriculi continebatur caufa inappetentiæ; & fic appetitus infurgit. Et quia ab ingefto cibo attratrix facultas ventriculi excitatur ad operam.

Contrà autèm contingit, vèl appetitus, qui priùs aderat deftruatur, vèl quia ex cibo ingefto vapores elevantur, qui os ventriculi inficientes appetitum deftruunt, vèl quia cibi præcipitati in fundum ventriculi humores ibi exiftentes, furfum attolli faciunt, & appetitum profternunt. Quanquam etiàm poteft idipfum evenire proptèr qualitates ipforum ciborum, ùt fi cibi naturæ adverfæ fumantur.

Menftruata cibos faftidit, qui natura mulieris tempore menftruorum magis ad expulfionem laborat, quam digeftioni vacet,

idcò

ideò ne inconcoctus remaneat cibus; provida cùm sit illud non admittit.

Maturæ ficus admodum nutriunt, quià dulcia naturâ sanguinis nostri, & carnis proximè congruunt, carnem tamen non compactam, nec firmam generant, ùt panis, & suilla, sed sublaxam, ut fabæ. Et quia sanguinem non admodum probum gignunt; hinc fit, ut ipsarum usu pediculorum multitudo proveniat.

Pro terminatione hujus capitis notandum est ex schola, quod contra nauseam marinam prodest panis assatus, si ex vino aquoso, & odorato maceratus ingeratur, & omnia poma, quæ os ventriculi corroborant, & humorem sursum repentem deorsum revellunt, & per ventrem evacuant, fluentemque stomachum sistunt. Tamèn vomitionibus primum abborrentibus, nèc facile, nèc utilitèr resistitur, quæ omninò magna ex parte præsidio esse soleant contrà magnas, & vehementes ægritudines.

Appetitus Caninus, vèl fames canina est ægritudo comedendi, cujus non satiatur mens, & qui hoc morbo laborant immoderatè appetentes, tantùm sæpè sumunt, quod digerere nequeunt, ùt canes: Undè per vomitum, aùt secessum eum emittere necessè est. Quò emisso iterùm comedere appetunt.

Itèm appetitus caninus excitatur multoties ex debilitate etiam retenta in corpore, & à vermibus cibum assumptum devorantibus.

Causæ primitivæ bolismi sunt motus per loca nevosa, & frigida, vèl mala ventriculi intemperies, vèl frigiditas virtutem attractoriam, & sensibilem mortificans &c. cum morbus fit à frigore exteriori, prodest sumere panem infusum in vino odorifero. Frigiditas interior erit, vèl ab acri pituita, vèl à melancholia. Si fiat à pituita, utendum est his, quæ incidunt, ac abstergunt, & desiccant, ùt sunt dulcia, & salsa. Prosunt etiam calida pinguia, sicùt butyrum cum per brodis pinguibus.

Causæ appetitus canini plurès sunt; prima est membrorum superflua resolutio, proptèr quàm membra inanita à venis continuè attrhaunt, venæ ab hepate, hepar à stomacho, & per istos motus causatur hujusmodi appetitus. Et quando appetentibus continuè cibus afferatur, ex ipso tamèn non nutriuntur, ùt inquit *Galen.* Quia non transglutitis, sed benè digestis nutritur corpus.

Talis membrorum resolutionis causa esse potest intrinseca, & extrinseca, ùt evacuationes superfluæ, sudores superflui, su-

 per-

perfluus fluxus ventris, & ftomachi, aùt totiùs contentiva debilitas.

Itèm bolifmus bovis fames interpretatur, & *Arift.* docet, homines in frigiditate, & hieme plus bolifmum pati, quam in eftate, cujus caufa effe dicit frigiditatem, quæ diminutam efficiens caliditatem, non poteft tantum cibum immutare, quod membris fufficiat. At hoc eft intelligendum in corporibus debilis caloris, quia in robuftis, ventres hieme calidiffimi funt, & natura de cibo plus immutat, quam in eftate.

Bolifmus eft fames immoderata membrorum, cùm appetitus ceffatione. Membra enim inanita, & nutrimento carentia à venis fugunt, venæ autem à ftomacho, ftomachus autèm inanitionem non percipit, vèl fi percipit, ità debilitèr, quòd uno bolo fatiatur. Nàm ubi os ftomachi ftupidum fuerit, fuam inanitionem plus non percipit, quàm fi effet fatiatus, licèt fit inanitus.

Et intenfa membrorum, aùt ftomachi caliditas famis fyncopalis caufa effe poteft. Nàm proptèr ipfam velox fit virtutis refolutio, & nifi ftatim cibus offeratur, quò virtus ipfa refocilletur, & caliditas illa aliqualitèr remittatur, grande nocumentum præfentit, & illud cordi communicans, fyncopim inducit.

CAP. XXVIII.

De Singultu, & Syncopi.

Virtus naturalis ftomachi expulfiva aliquod nocumentum fentiens, ùt illud expellat naturalitèr infurgit, undè proptèr violentiam ipfius oris ftomachi fit quædam commotio, & quidam caufatur fonus, qui fingultus dicitur; ftomacus enim nocumentum fentiens in fe contrahitur, & ùt nocumentum à fe expellat, fe dilatat. Et fic patet, quòd in fingulta duo funt, motus contractivus, & dilatativus.

Quando in ftomachi *villis*, feù poris infixa, atque retenta frigiditas fuerit, fi fenfibile nocumentum effecerit, natura ad ipfum expellendum naturalitèr infurgit, & fingultum caufat.

Caliditas quoque fuperflua fingultus caufa effe poteft. Cibi quoque mordicativi, & maximè fi poft talium affumptionem boni vini parùm bibatur, quia eos in ftomachi fubftantiam infigit, & invifcat. Undè proptèr fenfibilitatem ipfius, quia nervofus facilè lædi-

lęditur, & ſingultum efficit. Et generaliter, quando nervi ſtomachi calore, vèl frigore, inanitione, vèl repletione conturbantur, fundus ſtomachi elevatur, aerque exire compulſus, alteri aeri obujans, ſonus, qui ſingultus dicitùr generatur.

Valet contra ſingultum provocata ſternutatio, & ſubiti timoris incuſſio.

Syncopis animi deliquium eſt, contingens proptèr humores, vèl vapores malignè invadentes cor.

Syncopi proſunt irroratio faciei cùm aqua roſacea, acetoque mixta, vèl cùm aqua frigida, vèl vino, & admoveatur naribus muſcus, canphora, vinum odoriferum, & ſimilia. Nàm ſuaves odores contra ſyncopim plurimum valent.

Itèm confricatio extremitatum cùm provocatione ſternutationis facta cùm acri aceto prodeſt, & quia niſi citò ſuccurratur, celere periculum imminet; providetur ei mica panis calidi, in vino optimo intincta, & exhibita, vèl odorata.

Itèm ſyncopis eſt abſolute cordis defectio, vèl ſubitò virtutis vitalis defectio, & provenit à debilitate cordis, & aggregatione totius ſpiritus ad ipſum præfocante cùm interiùs. Undè omnes ſyncopis cauſas ad duas reducimus ad ſuffocationem, ſcilicèt ſpirituum à multis, & craſſis humoribus, & ad eorum diſſolutionem, ſivè deperditionem, quæ ſyncopis reſolutiva, vèl reſolutoria dicitur.

Prò ipſa ſyncopi in principio eventus paroxiſmi inſtare poteris, & debes cùm fricationibus. & aliis diverſionibus, & ſi ſyncopis proveniat à cholera ſubtili putrefacta, ac de venenoſitate participante, motus omninò vitetur, & quies pro poſſe introducatur, neque fricationes huic conveniunt, quod ſi fiant ſint leves in manibus, & pedibus ad introductionem ſomnii. Fricationes enim fortes inflammant, & divertunt calorem, & principium vitæ ſic derelinquitur.

Si videris infirmum deficere ſubtilitate ſpirituum, & humorum, qui reſolvuntur à caliditate febrili; tùnc ſtude ingroſſationi ipſorum, cum refrigerantibus, aùt flabellando, irrorando eum cùm aqua, applicando Teſticulis refrigerantia, & circa pudibunda mulieris, aquam roſaceam acetum &c.

CAP. XXIX.

De dolore Pectoris, Stomachi, & Cordis Palpitatione.

CUm pars subtilior, & tenujor catharri pervenit ad aliquas venas, venæ distenduntur, & sic causatur dolor. Posteà cùm sequitur fluxus, cessat dolor, quià tùnc natura transmittit excrementa ad loca consueta.

Et dolent lumbi contracta intemperie calida, ab humoribus putrescentibus, vèl vaporibus. Curatur refrigerantibus foris applicandis, & clystere immittendo. Dolor renum facillimè curatur exercitiis, & abstinentia abundantium humorum.

Applicantur foris unguentum rosaceum, oleum rosaceum aqua rosacea, & similia.

Palpitatio cordis fit, dùm causa morbifica cordi occurrens ità agit, ùt cor motu pravo efficiatur, & pratèr naturæ leges elevetur, ac deprimatur, & causa efficiens, palpitationem nihil aliud est, quàm flatus, seù materia flatulenta frigida, sivè sit in corde, sivè extra, ùt Galen. docet in depalpitatione.

Conferunt cordi intèr alia, aurum, borago, acetosa, persica, vinum, ova, saccharum rosaceum, electuarium de citro, pira condita, & similia.

Quid sit dolor in genere jàm superiùs dictum est. Hic remanet notandum, quod causa doloris, aùt est calida, acuta, & subtilis, & sic facit pungitivum dolorem, ùt humor cholericus, aùt salsus, aùt sanguis corruptus, aùt vermes suis aculeis pungentes: aùt ventositas in aliquo parvo loco inclusa &c. Sed gravativi causa est materia frigida, grossa, viscosa in intestinis aggregata, sicut humor phlegmaticus, aùt sanguis congelatus, aùt melancholia, quæ de se dolorem talem faciunt intensivum, extensivum, aùt perforativum, si in aliquo loco concluduntur.

Stomachi malam complexionem frigidam, aùt humidam significat paucitas sitis irritatio acris, aùt insipida, & constans appetitus ad cibum. Inflatiò stomachi, vèl est de humoribus crudis, vèl de melancholicis, de crudis humoribus est mollis, & humida, de melancholicis est dura, & sicca.

Fex autèm retenta est causa cholicæ. Item frigiditas potest facere dolorem, debilitando expulsivam tàm musculorum ventris, quàm

quàm inteſtinorum, aùt oppilando poros. Item frigiditas impreſſa in sfinetri, ſicùt accidit ſedentibus in terra, aùt ſuper lapides. Undè conſtringitur sfinetris, & expelluntur feces ſurſum, & retinetur urina; & propter hoc multiplicatur cholica in regionibus frigidis, & temporibus frigidis, & flantibus ventis frigidis.

Ventoſitas ſtomachi corpulentiam extendens, continui ſolutionem efficit, & per conſequens dolorem extenſivum.

In cholica eſt fortis retentio fecum, & ventoſitatum, & cùm educuntur, ſubito dolor ſedatur.

Aliqui poſt ſomnum incurrunt dolorem ſtomachi, cujus cauſa eſt materia catharralis deſcendens ad ſtomachum in ſomno.

Cauſa quarè interdùm ſumpto cibo dolor recedit, eſt quia cùm cholera, vèl phlegma ſalſum, vèl alius mordicativus humor ad ſtomacum, ſivè ad os ejus tempore evacuitatis propellitur, ſumpto cibo ſedatur. Quia contingit, quod cibus ſua qualitate humoribus illis contrarietur, aùt quia in illis materiebus commiſcetur, cujus cauſa mordicatio illa remittitur. Vèl quia ſumpto cibo hujuſmodi humores ad fundum ſtomachi propelluntur, & ſic prò tunc ſtomacho nocumentum nullum inferunt. At quia ex magna cæna ſtomaco fit magna pœna, ideò ùt ſis nocte levis, ſit tibi cæna brevis, juxta tamen corporum diverſitatem major, minorque cibi copia exhibenda eſt.

Itèm corpora, aùt fatigantur exercitio laborioſo, vehementi, & continuò, aùt non. Siquidem fatigantur, ùt ſunt eorum, qui victum manibus quærunt, iſtis largiùs prandere, quàm cænare convenit. Expetitur enim alimentum, non tantum ùt nutriat, ſed etiam ùt humectet, & irriget membra, ne areſiant ex forti motu, & ùt reſolutioni ex caloris incendio provenienti reſiſtat. Ejuſmodi enim corpora propterea, quod ità conſueverint, ob exercitium à concoctionis opere non ceſſant. Aliis verò, qui continuè vehementi exercitio non agitantur, vèl debili tantum utuntur labore, qui utique ſuperfluitatum copiam parit, his largiori uti cæna, quam prandio indulgendus eſt, licet in die ſuperfluitates meliùs quàm in nocte expellantur proptèr poros apertos, & quià coctio diurna duplex habet calidum, internum ſcilicèt naturæ, & externum ſolis.

Hippocrates *Aphor.* 50. ait, quæ ex longo tempore conſueta ſunt, & ſi deteriora ſint, inſuetis minùs moleſtare ſolent. Hinc Damaſcenus ſcriptum reliquit. Mutare conſuetudinem, præſertim veterem, & noxium, & peſtilentiſſimum habetur, & Galeaus. Quod conſuetum eſt, bonum eſt, inconſuetum verò malum

lum eſt. Quare malas, & pravas conſuetudines corrigere oportet, ſed paulatim, ac ſenſim ad meliora transferre. Undè in exhibitione copioſioris, aút minoris cibi in prandio, quàm cæna, non nihil etiàm dandum eſt conſuetudini. Hæc enim tùm in tuenda ſanitate, tùm etiam in profligandis ægritudinibus plurimum valet.

Apoſtematum ſtomachi, quoddam eſt ſimplex, quoddam compoſitum. Simplex ex humore ſimplici generatur, quia à ſanguine cholera, vèl phlegmate, vèl melancholia, compoſitùm verò ex iſtorum humorum commixtione. Iterum Apoſtematum quoddam eſt calidum, quoddam frigidum, quoddam humidum, & quoddam ſiccum, ſivè durum, & calidorum quoddam per eſſentiam, ùt ſanguineum cholericum, & quoddam per accidens, ùt phlegma, & melancholia putrefacta per accidens eſt calida. Pariter apoſtema eſſentialiter calidum poteſt fieri per accidens frigidum: reſolutis ſcilicèt partibus ſubtilibus, calidis, terreſtribus, remanentibus groſſis. Apoſtematum cauſæ poſſunt eſſe intrinſecæ, & extrinſecæ; Intrinſecæ ſi ſtomachus fuerit valdè calidus, quia ratione caliditatis ad ſe materias facile trahet, quæ poſteà congeſtæ, apoſtema ſtomachi faciunt. Item dolores cùm prolungantur, quià natura intendens dolori ſuccurrere ſpirituum, & ſanguinis multitudinem ad locum dolentem transmittit, & ſic materia ibidem congeſta, generatur apoſthema.

CAP. XXX.

De Fricationibus, & Sudore, & Colica Paſſione.

De ſudore hæc conſideranda ſunt, utrum ſit calidus, aùt frigidus, multus, an paucus per univerſum corpus, àn circà partes quaſdam, ſemper fluens, àn intermittens. Nàm ſi ſudor ſit calidus denuntiat humorem à natura ſuperatum, ac paucum eſſe, frigidus è contrà.

Ariſtotiles docet propterea medicos judicare pravos ſudores in febribus, frigidos, quoniam ſignum eſt tantam eſſe materiam, quæ cum non poſſit à febre calefieri, minimè quoque concoqui, ac ſuperari poteſt.

Si verò calidus, & multus ſit, naturam validiorem ſignificat, quæ cunctam expelit materiam; è contrà frigidus. Si autèm & calidus, & multus, & ſemper effluant, copioſos eſſe humores

vi-

victos declarat, sed non omnino excludi posse, aùt virium imbecillitate, aùt alio impedimento.

Quare corpus indiget auxilio medici, qui onus auferat, & humorem expellat.

Si autem frigidus sit, & multus, & continuò affluit, & virium languorem, & humoris abundantiam, & contumaciam indicat.

Sudor veniens in principio febrium, non est constringendus; multitudinem enim materiæ significat. Et quoniam caliditas vehemens calefacit, & subtiliat humores, & poros rarefacit, contentiva deficit, & non potest continere, quin fluant, & quia cùm vaporibus malis ad cutim ueniunt, etiam, & boni proptèr defectum contentivæ, undè evacuantur spiritus, & boni humores, ideò corpus debilitatur. Et sudor in quavis parte corporis frigidus, nisi infirmus sit propè mortem, significat ægritudinem longam.

Sæpè natura malos humores expellit ad superficiem corporis, ùt mundificet interiora, qui si sint subtiles, & liquidi nimium dissoluntur de cute, cum sudore, & fumo, si grossi sint permanent sub cute, & scabiem faciunt; si mediocres pruriginem generant. Prurigo illis maximè fit, qui (non lavantur) eisque sordes in corpore multiplicantur, sed de scabie, & pruritu habetur caput particulare interiùs. Circà fricationes nota, quod faciendæ sunt, incipiendo à spatulis, trahendo versus manus; non trahendo deorsum, nè materiæ versus cor trahantur, & versus os stomachi, sed fiat fricatio lateralis, versùs brachia &c.

Ubi foret multa humiditas non competeret fricatio, quià eliquaret, & non resolveret.

Qui è domo egredi non potest, utatur fricationibus antequàm à lecto surgat, cùm panno non multum aspero &c.

Pedes abstergendi tàm vesperi, quàm manè ficciore linteo, vèl spongia, & lavandi non raró singulis saltèm quatuordecim diebus aqua salsa, in coctis rosis, & id genus similibus.

Et tandem non erit inutile notare secundum quosdam medicos, quod sudor, qui singulis noctibus prodit, non aliundè fit, quàm ex sanguine nutritioni inepto, quem natura tamquam minus idoneum nutrimentum expellit, idque in nocte, cum ob nativi caloris ad interiores partes reditum actiones suas perfectius absoluit.

Colica passio, quæ gravis quidem, ac vehementissimi doloris morbus est perindè, ac si terebro partes perforentur, aùt palus infixus sit, molestare solet, & provenit ex flatuoso, & frigido spiritu in intestinis retento, è quibus quia densi, crassi, & nervosi egredi nequit, ùt Galenus docet.

Itèm

Itèm retentio fecis aliquando fit ex siccitate: siccitas autèm fit proptèr siccitatem ciborum, aùt proptèr paucitatem quantitatis eorum, aùt exitus urinæ multitudine, aùt multitudine laboris, aùt caliditate ipsius ventris, aùt simili de causa. Fit autem multitudo ventositatis, aùt propter cibos inflativos multæ quantitatis, aùt proptèr plurimam superfluitatem cibi, aùt proptèr caliditatis ventris debilitatem.

Intestina sunt adeò longa, ùt omnia simùl extensa sint communitèr novem cubitorum.

Cholon est intestinum grossum sic dictum, quia multas habet cellulas, in quibus stercora figuram accipiunt. Et ab hoc intestino nomen sumpsit cholica existens, dolor valdè intensus, qui frequentè proptèr duritiem fæcum generatur.

Dolor quando est in Colon, & reliquis intestinis grossis, dicitur cholicà passio, quando est in ileon, quod est intestinum valdè longum, plures habens revolutiones, & in intestinis gracilibus dicitur ileos.

Ileos apùd antiquos dicta est Domine miserere, proptèr mortem crudelem, & obscenam, post multos cruciatus, & vomitum stercorum &c.

Causa ileos est intestinorum, vèl obstructio, vèl retentricis facultatis fortitudo, & attractricis. Itèm calidum apostema, vèl humor frigidus, crassus, & viscosus. Sed frequentius accidit proptèr vehementiam virtutis retentivę, cùm gracilia sunt magis ordinata ad retentionem, quam grossa; sunt enim gracilia strictiora.

Obstructio fit, vèl à tumore duro, vèl ab alio quopiam abscessu, vèl ab excrementis siccis &c. Itèm cholica frequentius fit à ventositate phlegmate, stercore sicco, & vermibus, & similibus.

Dolor in gracilibus est intensior, quàm in grossis, quià sunt magis nervosa, & acutioris sensus, & dolor Iliacus est supra umbelicum cholicus est infra umbelicum.

Itèm signa Ilei sunt ultrà dolorem supra umbellivum; vomitus interdùm fecum, & vermium fetor oris, & totius corporis &c.

Quando dolor augetùr ex sumptione cibi, tùnc dolor est cholicus, stomachus enim cibo plenus comprimit intestinum cholon.

Ileus non juvatur à clysteribus, ac suppositoriis sicùt cholica. In curatione ileos, si venenū sit in causa, danda erit opera, ut vomitus provocetur propinante calente aliquo jure pingui, demum thiriaca exhibeatur, vèl quidpiam aliud, proùt species veneni magis requirit.

Causæ

Causæ punctionis stomachi sunt cibi acuti, salsi, acetosi, ventositas &c. aliquando cholera pungens, & mordicans, Phlegma salsum, melancholia adusta, & phlegma viscosum, in cujus separatione fit dolor. Et tandèm excoriatio, vulcus, apostema, & vermes. Ventositas cognoscitur per rugitum, & aliquando punctionis mutationem. Itèm per eructationem, aùt exitum ventositatis per inferiùs, cùm quibus punctio alleviatur. Humor cholericus cognoscitur per caliditatem in loco, sensatam sitim, oris amaritudinem &c. Phlegma cognoscitur per punctionem cùm gravitate, & si egrediatur inferiùs apparet album, & cùm hoc sentitur in aluvo mordicatio, & tenasmon. Phlegma grossum, & viscosum cognoscitur, quia cùm educitur apparet in aliqua parte superficiei ejus aliquid sanguinis adhærens. Melancholia cognoscitur per colorem ejus fuscum, cùm educitur. Vermes cognoscuntur per signa Vermium. Apostema verò per duritiem, febrem, & dolorem continuum.

CAP. XXXII.

De Tussi, Sternutazione, & Respiratione.

TUssis secundum Galenum est vehementissima pulmonis efflatio, qua plurimus spiritus celerrimè foras erumpens impetu suo extendit, exploditque excrementa meatus ipsius obstruentia. Undè tussis est quoddam aggregatum ex duobus motibus, scilicèt dilatatione, & constrictione impetuosa pulmonis, & pectoris ad expellendum nociva.

Et cùm per tussim violentèr erumpat, & rejiciatur materia, & orificia venarum capillarium facilè aperiantur, ex quibus prodeat sãguis, non est cùm magno periculo, quia cùm tenues sunt venæ, facile aperiuntur, & clauduntur. Et quia tussis est pectori, sicut sternutatio cerebro; ideò notandum, quod in pectore sunt duo panniculi dividentes ipsum in duo media, quare fiunt in eo duæ concavitates, vel duo ventres, & proptèr hoc quando aggregatur in uno latere ejus saniositas non transit ad latus alterum, scilicèt à latere dextro ad latus sinistrum, vel à latere sinistro ad latus dexterum.

Intèr causas tussis sunt vapores acuti sicùt piperis, & similium, qui mordicant pulmonem. Et similitèr sapor cibi acuti, acris, aùt acetosi valdè. Materia quoque contenta in venis pulmonis

nis, ſua acuitate, aut multitudine ſtimulando, facit tuſſim ſiccam. Et quandoque tuſſis ſiccæ cauſa eſt debilitas virtutis expellentis.

Tuſſis cùm difficultate accidit proptèr exiccationem pectoris ab humore exiccante, conſtringente &c.

Tuſſis cognoſcitur provenire à cauſa calida, quando eſt cùm aſperitate ſicca, & ſine ſputo: à phlegmate, cùm tuſſi affuerit ſputum multum, & non facilè poteſt expui proptèr groſſitiem, & viſcoſitatem ſuam. Galen. ait *Aphor.* 15. dominante vento frigido tuſſim fieri, nam aer frigidus attractus moleſtans cauſa eſt tuſſis.

Ex ferculis prò tuſſi conveniunt brodium cicerum, vitelli, ovorùm ſorbilium, carnes teneræ, & vinum dulce; comeſtio ficum cùm nucibus abſcindit tuſſim, quæ eſt antiqua. Pulvis ſinapis naribus appoſitus ſternutationem provocat, & cerebrum à ſuperfluitate phlegmatica mundificat.

Poteſt vetari ſternutatio, ſi oculi parum fricentur ſternutatione, caput purgatur à malis vaporibus, ut Domus à fumo, quando expellitur à vento.

Sol, & calor qualiſcumque, diſsolvunt in capite omnia excrementa humida, & colliquant ea. Hinc fit, ut ſtatim, ac quis, cui caput humidum eſt, vel vaporum plenum in ſolem prodierit, ſternutationem elidit.

Quibuſdam etiam defluente in proximè vicinos muſculos humore in capite fuſo, motiones colli voluntariè impediuntur.

Sternutamentum eſt bonum ſignum, ſignificat enim virtutem robuſtam, undè dicit Avicenna, morti proximum non poſſe ſternutare proptèr virtutis inbecillitatem. Et eſt utile, quia caput humidum exiccat, ſupervacua expellit, & capitis gravitatem ſedat.

Reſpiratio eſt motus elevationis, & depoſitionis pulmonum, procedens à thorace cauſa vitæ. Galenus docet, tria eſſe organa principalia reſpirationis, ſcilicèt pulmonem, thoracem, & Cor. Pulmo eſt principale, & dilatatur, & comprimitur, & reſpiratio fit, ut cordis color ventilatione ſervetur.

In genere frequens reſpiratio facile cognoſcitur num fiat ratione ardoris, vel imbecillitatis, vèl potiùs ratione anguſtiæ.

Si, ob ardorem apparet thoracis calor, & faciei rubedo. Si ob imbecillatem, non adſunt ſigna ardoris, ſi ob anguſtiam celeritèr, & frequenter dilatatùr thorax.

Galen. ſuper *Aphor.* 34. Hippocratis inquit; ſuffocatio nihil aliud

eſt

est præter respirationis defectum: qui quidem respirationis defectus fit proptèr angustiam, & coarctationem alicujus spiritualium instrumentorum. Desit etiàm respiratio proptèr virtutis moventis thoracem imbecillitatem, & vitalis principii vehementem refrigerationem, ob angustiam verò fit omninò strangulatio. Angustia autèm fit, vèl repleta regione ea, quæ intèr thoracem, atque pulmonem est, vel pulmonis cavernis, & fistulis repletis, vèl repleto gutture.

Deus nos liberet àb hujusmodi morbo.

CAP. XXXIII.

De Subeth, & Incubo.

Subeth est somnus profundus, non naturalis, qui etiam vocatur carus ab ingrossatione spirituum, vel forti humorum oppilatione in viis purissimi ventriculi cerebri proveniens. Cujus causa extrinseca est re quælibet sua frigiditate potens spiritus ingrossare.

Ad intrà verò grossi vapores undique resoluti, qui ad caput veniunt, & in anteriori cellula oppilationem causant.

Incubus accidit, cùm viæ per quas spiritus à corde ad cerebrum deferuntur, & à cerebro ad membra cætera ab humiditatibus oppilantur, quo fit ùt membra debitis suis motibus careant, & tunc cùm pectus ad necessarias dimensiones dilatari nequeat diaphragma constringitur, & ab ipso pulmo, à pulmone verò cor: Qua ex causa cor ipsum debitè dilatari non potest, & tunc infirmo super se, ùt pondus, vèl phantasma apparet, quod vulgares demonem hominem suffocantem putant. Hoc ùt plurimum in somniis accidit, & his potissimè, qui resupine dormiunt.

Quantùm ad causas intensa caliditas, vèl frigiditas esse potest. Nàm frigiditas dormitanti superveniens, & vias spirituum comprimens, incumbum efficit. Caliditas verò interdùm humores in vaporem convertit, qui posteà vias illas oppilat. Et incubus inducitur. Accidit etiàm, cùm quis super magnam repletionem dormit. Grandis enim repletio est incubi plerumque causa. Nam stomachus repletus comprimit diaphragma, scilicèt panniculum, cúm quo pulmo conjungitur, qui est ordinatus ad expellendum, quę sunt expulsione digna.

CAP. XXXIV.

De Digestione, Repletione, & Evacuatione.

STomachus ùt inquit Galenus; est cellula in medio corporis posita, ùt instrumentum ad digerendos cibos, cujus essentia in capite est nervosa, hinc frigida, & sicca; inferiora verò stomachi sunt carnosa, in quibus fit cibi digestio, ejusque succi ad hepar expulsio.

Digestio ùt docet Galenus est concocti, ac confecti, & in sanguinem conversi alimenti, & in corporis particulas omnes attractio.

Quando cibus est superfluus, ùt benè digeri non possit convertitur ad acetosum, maximè si stomachus sit frigidus. Quandò est tàm paucæ quantitatis, ùt aduratur, corrumpitur ad fumosum in stomacho calido.

Concoctio alimenti est species elixationis cùm Aristotile: Item concoctio est perfectio, vèl in substantia, ùt cùm concoquitur sanguis evadit caro, vèl in qualitate, & cùm mustum evadit vinum. Itèm concocta dicitur materia quæcumque cùm qualitates acquisierit viventi aliquo modo utiles: nimirum dispositionem ad facilem evacuationem, remissionem activitatis præternaturalis, obedientiam naturæ, & similia.

Quatuor sunt virtutes naturales, idest appetitiva, contentiva, digestiva, & expulsiva: quæ omnibus membris parvis, & magnis insunt. Sèd tàmen stomachum, & hepar fortiùs cæteris, has habere credimus. Quià cætera corporis membra habent has virtutes ad nutrimentum sui. Stomachus verò, & hepar non solum ùt se nutriant, sèd ùt cæteris membris adiutorium accommodent.

Repletio superflua impedit stomachi digestionem, calorem innatum suffocando, sicùt nimia innatio ipsum paucificando. Motus quoque laboriosus post cibum minuit, aùt corrumpit digestionem, tùm cibum agitando, ùt non benè complectatur à stomaco, tum calorem trahendo ad instrumenta motus. Levis tamèn deambulatio juvat faciendo cibum ad fundum stomachi descendere.

Ventositas impedit digestionem, quia non sinit stomachi parietes sufficienter cibo adhærere,

Nocu-

Nocumentum digestionis stomachi est materia ferè omnium egritudinum materialium, propterea dicitur, quod plures interfecit crapula, quam gladius.

Cùm aer nubilosus est, & humidus, spiritus existens in ambitu totius, & sanguis ab aere nubiloso crassescunt, & non fiunt debitæ transpirationes, fiunt malæ concoctiones, fiunt obstructiones, & calor naturalis obtunditur. Undè simptomata quàm plurima causantur.

Coctio consistit in hoc, ùt separetur quod utile est ab excrementoso.

Concoctio nihil aliud est, nisi assimilatio. Familiaria melius concoquuntur, ea quæ causa, panis optimum præbet alimentum.

Quod materia sit frigida apparet ex perseverantia longa doloris, nàm materia frigida, & viscosa est, & quando flatuantur proptèr extensionem, & solutionem continui, dolor efficitur.

Experientia constat calorem per se ipsum post cibi sumptionem, ùt eum mutet faciliùs, & concoquat, in profundum refugere.

Quando calor revocatur ad intrà, ùt fortiùs digerat, licèt sit bonum per viam causæ, est tamen malum per viam signi.

Significat enim aùt parvitatem caloris, & consequentèr debilitatem virtutis digestivę absolutè; aùt in comparatione ad cibum digerendum.

Signum bonæ digestionis est non sentire gravitatem, neque rugitum &c.

Schola docet, quod ventris onus, compressis natibus non est retinendum, ità namque indurantur feces in intestinis ob continuam suctionem venarum miseraicarum, quæ omnem humiditatem à fęcibus exugunt, quo fit ùt illę exiccatæ, difficilioris exitus fiant, intestina obstruant, oppilentque, & flatuum eductio præcludatur, & aliorum, consequentèr fecùm, & sic nocumenta quamplurima sequantur.

Si natura fuerit districti aluvi, præcipuum remedium erit, si pruna hispanica dulcia, numero octo, vèl decem cùm pugillo passularum dulcium in jure pulli, aùt carnis vitulinæ, vèl optimi castrati decoquuntur, & decoctum manè sumatur antè prandium, sinè molestia enim aperiet alvum, & omnes humores temperabit.

Itèm quando ventris beneficium deficit, adiuvatur uncia floris cassiæ, & etiàm passulis dulcibus ante cibum linietur venter, & conferunt pectori.

Cassia omnes humores evacuat, sanguinem puriorem reddit, & universum corpus integrum efficit.

Evacuatio non habet fieri antè materiæ digestionem. Canon tamèn habet veritatem, præterquam in materia venenosa, aùt furiosa valdè, aùt multa, de qua timetur ægri perditio. In his enim casibus magnum periculum est in mora.

Omnes evacuationes particulares generalitèr præcedere debet universalis, quæ fit per pharmacum, vèl missione sanginis. Et quià dicunt medici non evacuamus, nisi concoquamus materiam; cùm materiæ sint diversæ scilicèt, aliæ crassæ, aliæ fluidæ, prò crassibus debemus uti abstergentibus, & incidentibus, ùt syrupo de bettonica, & consimilibus, prò fluidis autèm crassantibus.

Syrupus de bettonica, & cichorea benè conferunt ad concoquendam bilem, & pituitam.

Verùm quantùm temporis spatium detur ab assumpto cibo ad substantiæ animalis deperditæ restaurationem, tres esse dies testatur *Hipp. in lib.* 4. de morbis.

Siquidem in primo die assumitur cibus, in secundò feces exeunt, in 3. humor exerementosus expellitur. Sanus igitur deget homo, si cibo opportuno assumpto secunda die feces emittat, & tertia excrementitias humiditates. Et è contrà sanus non permanet, si feces detineantur, humiditatesque prædictæ tertia die non expellantur. Et si cibi prima, aùt secunda die exeant, homines evadunt tenues, ac debiles.

CAP. XXXV.

De Paralisi, Spasmo, & Stupore, de Scabiæ, & Formicarola.

PAralisis Grecæ; Latine dicitur relaxatio. Undè Paralisis nihil aliud est, quàm membrorum relaxatio propter nervorum oppilationem causata. Sed notandum, quod Paralisis interdum est cùm totali ablatione sensus, & motus, aliquando solum cùm diminutione ipsorum: undè Paralisis propriè dicta, est particularis apoplexià, & apoplexia est Paralisis universalis.

Spasmus est membri patientis abbreviatio, sivè decurtatio, & provenit, vèl ex nimia repletione, àùt evacuatione, aùt ex mala frigida complexione, aùt calido nervorum apostemate. Quando contingit materiam aliquam in nervis imbibi, sic ùt eos dila-

dilatet, & accurtet: fit ſpaſmus, quem de repletione dicimus. Defectu autem materiæ fit à quacumque cauſa potente humiditates noſtri corporis exiccare. Et tùnc nervis non alitèr accidit, quàm quando igni coitum madefactum exponimus, ipſum enim humiditate reſoluta contrahitur. Interdùm etiàm fit proptèr dolorem, aùt nocumentum aliquod cerebro communicatum. Cùm enim cerebrum tale ſentit nocumentum, ſe contrahit, ex cujus contractione ab ipſo quoque orta contrahuntur, & motui voluntario fit inobedientia. Interdùm proptèr frigus muſculos congelans, membrum tenſum ſtabit, ad nullam poſitionis differentiam ſe flectere potens. Quod etiàm ex venarum, & arteriarum repletione poteſt evenire.

Stupor nihil aliud eſt, quàm membri ablata, vèl diminuta ſenſatio, proptèr tactivorum ſpirituum paucitatem, aùt ipſorum, ſeù membri in debitam diſpoſitionem ab alicujus rei mala qualitate eidem impreſſa cauſata.

Iſta indiſpoſitio fit ex glutinoſis humoribus, prò qua prodeſt lotio cùm aqua ſalſa marina, & juvant, quæ proſunt prò epilepſia. Mortificatio alicujus partis fit per extinctionem caloris innati, qui quidem calor innatus extinguitur tùm à ſummo calore, tùm à ſummo frigore, A' ſummo frigore tanquàm à contrario extinguente contrarium, vèl per antipariſteſim, pellente nimirum externo frigore calorem innatum ad partes interiores. Undè accidit, ùt idem calor acutus humidum conſumat, quod ejuſdem caloris pabulum erat. Deficiente verò pabulo vitæ, & calore ſequitur interitus.

Stuporis cauſa ſunt omnia, quæ in originibus nervorum, ſeù in nervis ipſis, per quos ad membra ſpiritus deferuntur, & ab extrinſeco, & intrinſeco oppilationem facere queunt, ùt ſua nimia quantitate. Sanguis oppilans, aùt viſcoſitate phlegma, aùt melancholia ſua groſſitia. Cholera verò non niſi ratione qua humoribus cæteris dat ingreſſum, raró, immò rariſſimè fit ſtuporis cauſa.

Cùm totum corpus redundat ferventiſſimo ſanguine, qui tanquam alimentum ad ſingulas corporis partes neceſſario defertur, quæcumque ejus pars ſubtilior, acriorque eſt, ad cutim tanquam excrementum defertur: ſi poſteà frigus, vèl ex aqua, vèl aere occurrerit, ſtatim meatus condenſantur, & adſtringuntur. Undè introcluſi ſpiritus illi tenues acres, & mordicantes, neceſſario excitant pruritum, deindè etiàm dolorem multiplicat materia, & ſibi invicem ſuccedente. Undè ſi vèl proptèr craſſitiem,

vel

vèl densitatem meatuum cutis non possunt transpirare;fit pruritus, vèl scabies.

Scabies, & pruritus, ùt plurimum generantur à materia sanguinea, cui admiscetur cholera adusta. Et scabies, quæ reddit cutim asperam, & facit disquamationes provenit à materia multa, & apud antiquos lepra dicitur. Nàm lepra morbus solius cutis est.

At pruritus ille scalpore sedatur, qui pendet à materia subtile, & pauca; calefit enim membrum, scalpendo pori dilatantur, & materia subtilitatur, undè facilè exalat. Et è contra materia existente multa, & grossa non tota resolvitur.

Cum sanguis nimis abundat, accidit pruritus, quasi ubique carnis, continuo oris dulcedo sentitur, & fiunt vesciculæ in ore, & labiis.

Cùm cholera nimis abundat, accidit in faciem color cedrinus, amaritudo in ore, sitis multa, & caput sæpè dolet.

Cùm phlegma nimis abundat, in ore accidit multitudo salivæ, idest sputus multus, oculi fiunt graves, & somnolentes, & calor albus, sivè rubeo colore.

Cùm melancholia nimis regnat, accidit multitudo appetitus canini, urina tendens aliquantulum ad viriditatem, vèl pallidi-tatem.

Materia crassa ex sculptura non evaporat, sed facit pustulas, & ibi putrefit. In scabie fit asperitas proptèr exiccationem superficiei cutis, & rubedo ex accensione sanguinis, & aliorum humorum.

Uehemens pruritus ostendit melancholicum sanginem, adustum. Is enim tàm pertinax est, ùt sæpè citius cutem, & carnem discalpes, quàm pruritum tollas.

Scabiei tandem causæ sunt quatuor. Sanguis scilicèt adustus, cholera adusta, phlegma salsum, aùt per adustionem transiens in melancholiam, & melancholia adusta.

Quando humor cholericus, qui est mordicativus, & acutus, expanditur super membra puri sensus, causat horripilationem, idest pilorum erectionem, & puncturas veluti acus, qui dicuntur formicæ,& formicarola. Itèm quandò à multitudine sanguinis obstruuntur viæ, fiunt obstructiones, & stupores illi, qui etiàm formicæ dicuntur.

CAP.

CAP. XXXVI.

De Sanguine, & Phlebotomia.

SAnguis, qui vitæ thesaurus à medicis vocatur, aliquando egreditur à venis, & arteriis, aliquando à membrorum substantia. Primo modo egreditur tripliciter, aùt propter aperitionem orificiorum venarum, aùt propter resudationem, aùt propter solutionem continuatis in venis, & arteriis, sivè illę rumpantur, sivè scindantur &c. causa resudationis sanguinis à venis, aùt est subtilitas sanguinis, undècumque proveniat, aùt raritas texturæ venarum.

Cognoscitur provenire ex aperitione orificiorum venarum, quia in principio est parvus, & augendo procedit, & est sinè dolore. Et è contrà proveniens ex ruptura venorum, in principiò est multus, & deindè paucus, & cùm aliquali dolore.

Cognoscitur provenire ex apostemate, cùm sputum sanguinis succedit sputo saniei.

Interiores causæ sunt venarum corrosio, quæ fit à fluxu à capite descendente ad pulmonem,&ad pectus ex materia cholerica, aùt phlegmatica salsa. Itèm venarum aperitio interdùm fit ex repletione earum ex multis humoribus, aùt à sanguine,qui antè purgabatur per evacuationem menstruorum,aùt per emorrhoides.Plerumque verò ex mala complexione frigida, & sicca, undè aperiuntur sicut lutum cùm desiccatum fuerit.

Sanguis proveniens à venis pectoris est grossus, immò aliquando congelatus, sicùt sanguis suga. Sanguis autèm pulmonis non coagulatur propter multam cholerę admistionem. Itèm proveniens à stomacho, cognoscitur ex dolore stomachi, sicùt proveniens à pectore ex dolore pectoris,& sanguis proveniens à splene, est magis niger. Itèm quando sanguis egreditur à pulmone, nullus dolor adest, quia pulmo sensu caret.

Distillationes sanguinis ex naribus semper malum, propterea; quia natura desiderat extenuare,excernere,& expellere superfluitatem,nequit autèm, aùt propter imbecillitatem propriam, aùt propter grossitiem sanguinis,aùt propter densitatem particularum,aùt quid simile. Bene enim fluxibilem oportet sanginem esse.

Prò fluxu sanginis narium prodest albumen ovi submissum naribus, &aqua frigida super frontem sæpiùs, & circum circa collum

conspersa. Prò sanguine fluente ex incisione gladii, sagittæ, vèl similium, primum prodest superponere digitum tenendo panniculum, donec sanguis congeletur in vena, deindè superponere farinam de frumento, & similia, thus, & albumen ovi stringunt, & insuper carnem faciunt.

In phlebotomia semper priùs malus, quàm bonus sanguis effluit, ipsa enim natura sanguinem bonum sibi necessarium, tanquam charissimum sibi retinet, & proposite custodit, quoniàm in eo vita consistit, & malum spontè repellit. Sanguis bonus rubet, & lucet, & est æqualis substantiæ, sed malus est niger, saniosus &c. & viridis est omnium pessimus.

Phlebotomia stiticat, & desiccat, ideò summo mane debet præmitti clystere lenitivum, & debet fieri jejuno stomacho, & post digestionem cibi, & tempore quietis, hoc est quando febris magis remissa est.

Et advertendum, quod omnes venæ capitis, excepta vena sub mento, & omnes venæ crurum, ac pedum post commextionem sunt minuendæ.

Si sanguis exierit niger tollatur usque sit rubicundus, si spissus usquæ ad grossitiem, si aquosus usque ad grossitiem, & si non potest exire, clauso phlebotomiæ vulnere cùm digito, posteà subito cùm majore impetu exit.

Phlebotomia est universalis evacuatio omnium humorum. In utroque cubitu rectè possunt phlebotomari tres venæ, scilicèt cefalica, à qua evocatur sanguis capitis, & partium superiorum. Basilica, undè epatis sanguis proprius fluit, & partium inferiorum, & media communis est toti corpori. Salvatella est vena, quæ jacet inter annularem, & auricularem digitum, utriusque manus, & pedis, phlebotomatur ad sanguinem melancholicum, & vitia splenis.

Prò cura sputi sanguinis conveniunt caseus recens, & milium, & evitetur exercitium, atque locutio, & acetum prohibet fluxum sanguinis, si est exterius, & super eum effundatur. Avicennas dicit: Quantùm possibile est cave à missione sanginis, quià est thesaurus vitæ. Sanguis nunquam edùci debet in febribus intermittentibus cujus rationem Avicennas reddit, cum ait, cave nè ad unam duarum rerum ægrum perducas, humorum cholericorum ebullitionem, vèl frigidorum cruditatem, est enim sanguis frænum bilis, & suo temperato calore cruditates concoquit.

Galenus 3. acutorum abstinendum esse à sanguinis missione, per æstatem docet etiàm si omnes conditiones adsint, ùt puta mor-

morbus magnus, & ætas florens, vireſque ſuppetant. Qui enim de temporum ſtatu nihil cogitantes ſanguinem abſtulerunt medici, omnes interfecerunt.

Documentum Galeni, quo docet ſaluberrimum eſſe in febribus omnibus venam incidere, intelligitur de febribus continuis, & de non intermittentibus. Fit ſectio venæ ob duas cauſas: aút quia ſanguis inutilis eſt, & ſuam qualitatem non ſervans nutrire non valet, aút quià vires præmit, aút venas, & arterias diſtendit, findit, & obſtruit.

Quantitas extrahendi ſanguinis erit quouſque color mutabitur, aút virium robur ſuſtinebit. Et in virium imbecillitate, aút dimittendus eſt, aút partiri expediet.

Phlobotomia trahit ad intrà ſanguinem in cute exiſtentem, & ideò vituperatur in variolis, & venenis.

Sanguinis mittendi maxima eſt controverſia. Nàm Galenus, Avicennas, & alii docent ſanguinem mittendum uſque ad animi deliquium, ſperantes hac ratione, quod tollatur, & juguletur febris. Verùm Averroes in omnibus reprobat evidenti ratione Galeni, aliorumque opinionem dicens non debere, nos tantum moliri evacuationem, quoniàm natura quandò recte operatur, nunquam evacuat uſque ad ſyncopim. Medici autèm naturæ imitatores eſſe debent. Sanguis enim eſt vitæ theſaurus, ideoque naturæ cariſſimus, quapropter in ejus eductione reſervatiſſimi claſſici omnes ſemper videntur. Et pueris uſque ad 14. annum vena incidenda non eſt, nec ſanguis mictendus, quia ùt inquit Galenus, puerorum ſubſtantia omnium facillimè digeritur, ac diſſipatur; ideò minus evacuationis præſidio eget &c.

Ad educendum ſanguinem craſſiorem, baſilica vena eſt aptiſſima, ſecus ſaphena, ſi ſanguis ſit niger, & craſſior, permittatur exire, ſi pulcher, clarus, lucidus, ſtatim obſtruatur. Ideo enim laudat Galenus miſſionem ſanguinis præcæteris medicamentis per os exhibitis, quià ſemper reprimi poteſt, & vèl parùm, vèl multum educi ſecundum medici aſtantis voluntatem, quod non ità poteſt moderari in medicamentis per os exhibitis.

Ea hodie apud vulgum invaluit conſuetudo, ut venæ jejuno, ac vacuo incidantur ſtomacho.

Sed hoc ipſum doctoribus quibuſdam minus probatur, ut quibus conducibilius eſſe videatur, ùt ovum ſorbile, cum hauſto vini exibeatur. Natura enim ſtomacho exiſtente vacuo, ne alimento deſtituatur, ſanguinem pertinaciſſime retinet

Et advertendum, quod si antè phlobotomiam non fuerint feces naturalitèr eductæ, sunt artificialitèr educendæ, nè proptèr venarum inanitionem istę superfluitates ad intrà trahantur.

In ætate ad 14. usque annos vitanda sanguinis detractio est, sicùt etiàm post Annos 60. nisi quæ inevitabilis compellat necessitas. Item vena secanda non est, nisi sanguis effectus sit vitio vehementi, ùt si contingat, quod post applicatum fomentum non liniatur dolor, sed intendatur. Quia tunc hæc intensio significat corporis repletionem, & vitium sanguinis vehemens.

Is cui vena secta est, protinus à missione sanguinis cibum non sumat, sed expectet dùm humorum agitatio sedetur, nè cibus non dùm concoctus ad subveniendum membro læso cùm sanguine simùl attrahatur.

Ubi ætas, seù aliùd phlobotomiam fieri prohibet ventosæ apponi debent super nates primo, successivè in spatulis &c.

CAP: XXXVII.

De Motu, Quiete, Lassitudine, & Cicatricibus.

LAbores, atque animi accidentia, si moderatæ fuerint, calorem naturalem excitabunt, concoctiones adiuvabunt si exuperabunt, calor igneus excitabitur, & naturalis diminuetùr, & torpida succedet frigiditas. Ergo in omnibus excessus est evitandus.

Exercitium tunc observandum est, quando exquisitissima facta est concoctio, quod præcipuè habemus matutinis horis. Equitare, tunc optimum est, cum renes, & totum corpus fuerit expurgatum.

Exercitio superfluę humiditates resolvuntur, proptèr quod infectioni pestilentiali, & aliis ægritudinibus materialibus potentiùs humores resistunt. Undè Avicennas inquit. Ad exercitium peragendum conversi per modum suæ qualitatis, & in hora sua, nullo indigent medicamentorum, quæ materialibus necessaria sunt ægritudinibus. Undè refertur, quod in quadam peste omnes quasi fuerunt mortui, præter venatores utentes exercitio.

Et schola dicit, si vis incolumen te reddere sanum. Curas tolle graves, irasci crede prophanum, & hoc ignorandum non est, quando obesis nonnullis, quibus corpus immodicè plenum est, ac iis

etiam

etiam, qui ſpiritus admodum mobiles, ac calidos habent, interdum ut ille eſt, ſi curis timore, ac triſtitia conficiantur, quò nimirum ſpiritus calor haberetur, & nimia moles extenuetur,

Si tibi deficiant medici, hæc tria mens hilaris, requies, moderata dieta medici tibi fiant.

Plutarchus tradit Pithagoram animo pacando, ſedandoque ab effectibus, & perturbationibus muſicam adhibere ſolitum.

Unum ſingulare in delendis cicatricibus eſt balſamus, in quo pennam intingas, cùm qua ſępè cicatricem linias, proptèr hoc enim in tantum cicatrix ſubtiliabitur, ùt quaſi non apparet.

CAP. XXXVIII.

De Artetica, & Podagra.

ARtetica eſt juncturarum, quæ ſunt membrorum ligamenta, dolor cùm tumore, vèl ſinè à mala complexione humore, ſeù ventoſitate in ipſarum exiſtente concatenatione cauſatus.

Materiæ, quæ arteticã efficiunt, non nervis, nequę chordis, ſed in ligamentis, aut juncturarum concavitatibus imbibuntur, & nervos, chordas, ut muſculos extendentes quandam continui ſolutionem efficiunt, & dolorem per conſequens.

Dolor item in quavis junctura factus tumore ab extra apparente nullo ut plurimum fit, moleſtior verò mitigatur. Quia materia ad dextrà propulſa malori in ſpatioſitate continetur, & ſic non tanta fit continui ſolutio, & per conſequens non tantùm fit dolor intenſus.

Materia ad juncturas, ſeù ad juncturarum nodos propulſa proptèr ejus gipſeitatem, ſeù duritiem, interdum fit ineptiſſima reſolutioni.

Artetica interdum etiam provenit ex parte fortitudinis expulſivæ, cùm ſcilicèt epatis, & aliorum membrorum fit expulſiva fortis. Tunc enim ad debiliora membra ſuperfluitates eorum mandat, quæ deindè ſunt hujus ęgritudinis cauſa: ità Avicennas, & Galenus. Provenit etiam à debilitate virtutis nutritivę, cujus cauſa humores crudi plurimi generantur.

Prò arteticis multum balnea commendantur, & illa potiſſimum indifferentèr membra omnia confortando ſuperfluitates ipſorum reſolvunt. Sed adverte, quod plurimi calidas valdè renes habentes proptèr ab artetica præſervare, naturalibus balneis

uſi

usi sunt, & ad urinæ ardorem devenerunt, & isto modo à podagra liberati, in crudelissimam aliam ægritudinem inciderunt, & magnis cruciatibus ad alium mundum transierunt. Cæterum nisi corpus bene purgatum fuerit, intrare balneum haudquæq uam permittendum est, & posteà cibus sumatur. Qui suspecti sunt de podagra à lotione frequenti pedum abstineant, quoniam humiditates fluere faciet ad juncturas.

Rasis dicit, quod podagra præcipuè fit in iis, in quibus sunt superfluitates semicrudæ abundantèr valdè, & in corporibus cholericis.

Gutta prò cujuscunque interdùm humoris stillicidio, ad quamvis nostri corporis partem defluentis accipitur. Alio modò capitur, proùt est juncturarum dolor ab humore in ipsarum concatenatione à membris aliis defluente causatus. Quemadmodum enim membra ad se invicem escam trahunt, ità ad se invicem superfluitates deponunt. Et isto modo fit gutta, quæ per similitudinem guttæ à tectis, seù ab arboribus stillantis dicitur.

Pulegium peculiari proprietate quadam antiquam curat podagram. Crassos enim, viscososque humores, undè podagra generari ut plurimùm solet vehementèr calefacit, decoquit, attenuat, & emolitur. Quapropter podagricis etiàm per se subvenit, impositum usque dùm rubescat locus. Ut pollere corroborandi ex bona fragrantia ejus satis liquet.

In podagra, ùt inquit Rasis, non est res utilior motu, sed ad eum gradatim patiens assuescat, & debitis horis fiat, ex hoc enim dolor omninò tolletur, verùm cùm laxari incipit, & illicò quiescendum. Nàm cùm laxatio incipit, liquefit, & superfluitates in articulis, & in musculis congregantur, sed ubi, qui exercitium facere nequeat, antè cibum faciat fieri fricationes. Omnis evacuatio, sivè per urinam, sivè per sudorem, & quando suo loco facta, dolorem avertunt omninò, nisi cùm hoc cibo, & potu infirmus repletus fuerit, quoniàm si membra vacua fuerint, & venter plenus superfluitates magis quàm solent trahent.

CAP.

CAP. XXXIX.

De Splene, & Hepate, & Pulmone.

QUando ſplen redditus eſt debilis ſæpè numero intumeſcit, & craſſior apparet, nec trahit ad ſe fecem ſanguinis, ſicùt oportet, & ità fex iſta per ſanguinem diſpergitur, & reddit corpus nigrum, pallidum, & melancholicum. Qui enim caret ſanguine laudabili, ad lividitatem tendit, & diſcoloratus efficitur.

Palliditatis, vèl fędi coloris oblatio fit, cùm rebus aperientibus, & urinam projicientibus, & cùm decocto apii feniculi, aſparagi, petroſellini, cicerum, & ſimilium.

Splen à natura celerrimè indurari ſolet, ſanguine nimirum in venis obturato, & ob craſſitiem, neque excerni, neque diſcuti facile, poteſt ùt habetur ex Avicenna.

Signa obſtructionis lienis ſunt gravitas lateris ſiniſtri diſtenctio, & dolor, ſigna corruptionis attractoriæ facultatis ipſius ſunt totius corporis nigreties, & obſtructio, ſigna retentricis affectæ ſunt vomitus ſinè febre, vèl alia occaſione. Signa inflammationis lienis cognoſcimus ex dolore, fervore, febre &c. iis etiàm os fetet, gingivę exeduntur &c.

Pulmonis inflammatio cognoſcitur, quia tanta inducitur ſpirandi difficultas, tantaque anguſtia, ùt ſuffocari laborantes videantur, ac recti ſedere cogantur. In tuſſiendo modo hoc, modo alio colore infectum expuitur, ùt rubrum, flavum, rufum, ſpumoſum, nigrum, & lividum. Hujuſmodi infirmitas ſi fuerit à ſanguine, vèl à bile, conveniunt ſyrupus violaceus, & aqua ordeacea, ſi fuerit à pituita convenit oximel cùm ſyrupo violaceo. Evacuatio poteſt fieri cùm manna, & caſſia.

Ulcera pulmonis non modò ad curandum ſunt difficiliora, ſed quibuſdam etiàm impoſſibilis videtur ejus cura. Et hoc ratione, & experientia dicit Galenus. Ratione, quia pulmo ſemper eſt in motu, & quæ ſunt ſananda quiete indigent. Experientią, neminem eorum ità affectorum ſanatum viderim.

Ferè ſemper cùm caliditate hæpatis eſt frigiditas ventriculi, proptèr caliditatem ipſius hæpatis abſumitur pinguedo, & ventriculus fit frigidus.

Quod hæpar ſit calidior, & ſiccior, oſtendit totius corporis conſtitutio extenuata, & macra, corpus undique hirſutum, & pilis veſtitum.

Hępatis calor in declinante ætate intenſior efficitur, nimirum ſiccior.

CAP. XXXX.

De Peſte, & de Carbunculis Peſtilentialibus.

PEſtilentia morbus eſt, qui non ſolum civitates exhaurit aſſiduis funeribus, verùm etiàm totas nationes depopulatur, ac vaſtat. Quidam ex aere corrupto, alii ex aquis vitiatis, non nulli ex noxio terræ habitu peſtilentiam exoriri autumnant. Relilligio tamèn ſicùt terræ motum, & alia id generis mala mortalibus irrogata aſſignat irato numine. Undè tenet, & credit eſſe telum Dei, quo ſontes, inſonteſque feriuntur. In libro Regùm 2. evidens eſt exemplum.

Aer cognoſcitur eſſe peſtilens, cùm aves nidos relinquunt, & animalia pleraquę ex putri materia generantur.

Aqua cognoſcitur peſtilens ſi ſit pinguis, & tactu tepida vireſcens, ſi multiplicentur ranæ, & piſces etiam quandoque moriantur: ſi à terra procedat vapor peſtilens, cognoſcitur indè, quod terra evadit ſterilis præter conſuetudinem, vigent terræmotus, animalia cavernas fugiunt &c. ſigna corruptorum vaporum in viſceribus terræ retentorum, quibus plantarum nutrimentum, vèl aer ex eorum egreſſu inficitur, ſunt murium, talparum, ſerpentum, & aliorum ſub terra habitantium, ultrà ſolitum ſuper ipſius terræ ſuperficiem, apparitio vermium, & aliorum ex putredine naſcentium præter communem curſum excellens generatio.

Corpora naturalitèr in poris lata, ùt ſanguinèa, cholerica, aliiſ partibus ſunt paratiora febrem incurrere peſtiferam, quoniam illa ab aere plus lædi poſſunt, quæ plus de eo, & plùs de aere attrahunt. Et quia videmus tempore peſtis juvenes robuſtos magis mori, quàm debiles, & ſenes, ideò concludendum, quod minimè ſuſpecti, & boni talium infirmorum abſque periculo cuſtodes, ſunt vetulæ melancholiæ.

Hippocrates circum circa Civitatem Athenarum ex lignis Quercus accendit ignem die ac nocte ardentem, quàm ſic à peſte libe-

liberavit, & Athenienſes tunc eum in Deum habuerunt, & ſibi ſtatuam Eneam conſtruxerunt.

Cameræ infectæ prius bene mundatæ debent irrorari cùm aqua roſacea, & aceto. Acetum enim eſt multum choleræ atque ſanguinis fervoris extinctivum, & per conſequens eorum aduſtionis prohibitivum, & à præſervando à peſte mirabilem habet efficaciam.

Aer impurus redditur purus beneficio roſarum aqua roſacea, & ſucco citri, & ſimilium.

Carbunculus proùt febrem concomitatur peſtilentialem de triplici materia generatur, ſcilicèt de ſanguine habente putredinem, de cholera habente impetum, & acumen, & de melancholia habente diuturnitatem. Si in ſanguine major fuerit putredo carbunculi rubeſcunt ſi in cholera citrineſcunt; Et ſi magna in illis humoribus accidit ventoſa corruptio omnes hi tres colores ſimiliter apparent.

CAP. XLI.

De Venenis, & Aculeatis Ictibus.

AVicennas, & alii dixerunt, quod venenorum quoddam operatur, non quia calidum, aut frigidum, ſed quia talem habet proprietatem vitæ, & ſanitati contrarium.

Cauſa quare aliqua in veneni præſentia rorem emittere videtur eſt, quia venena in cibis, potibuſve, vèl qualitercunque in aere præſentata aerem ipſi ſuo vapore, vèl alio modo alterant, ſeù inficiunt; qui aer ſic infectus ad paraſitum, ſeù ſerpentis cornum perveniens ingroſſatur, & in roris modum convertitur, & tunc vulgares dicunt tali in veneni præſentia ſudare. Sed hic notandum, quod in aere vehementer calido, & ſicco, forſan talia rorem non emitterent. Quia tunc caliditas, & ſiccitas in tantum poſſent aeris ingroſſationem prohibere, quod in modum roris converti non poſſent.

Sal venenis reſiſtit, habet enim ſal vim vehementer ſiccam, & adſtringentem, undè poros per quos veneni vis in interiora corporis irruere ſolet, & denſat, & conſtringit, adeoque penetrationem ejus intercipit, & excludit.

Sciendum, quod venenorum quædam interficiunt ratione nimiæ caliditatis, calorem naturalem dissolvendo; quædam ratione excessivæ frigiditatis, calorem naturalem mortificando; quædam ratione siccitatis, corrodendo intestina, & perforando, & quædam ratione nimiæ humiditatis putrefaciendo, & corrumpendo.

Cępa sub cinere decocta, & sub pedum plantas posita, venenum ad se attrahit. Ad interiora valent omnes confectiones potentes substantiam veneni resolvere, sivè sit calidum, sivè frigidum.

Cicoria commesta valet contra venenum, & cocta, & commesta valet oppilationi splenis, & epatis.

Nuces collectionem phlegmatis, quod ex frequenti piscium esu generatur caliditate, ac siccitate sua discutiunt, & dispergunt. Undè nuces thiriaca piscium, post eorum commestionem sumuntur deplumatæ in aqua rosacea. Aliqui accipiunt vinum in quo aliquantulum maneant, & deindè saccharo aspersæ sunt comedendæ. Quæ si cum uno ficu sumantur antè cibum, ab omni veneno hominem præservant illesum.

Sal cum oleo tepido super combustionem ignis, prohibet à vessicatione, & quando miscetur cùm aceto sedat pruritum, & confert quando territur, & miscetur cum aceto forti, & ponitur super locum in quo est morsura alicujus venenosi animalis.

Thiriaca qualitercumque sumpta, potest altero duorum modorum venenum corrumpere, primo vel ipsum ad se trahat, sicut magnes causa exempli attrahit ferrum, attractumque perimit sic, ùt ampliùs virtutem non habèat venenosam: secùndo ut venenum à se pellat, & expellendo corrumpat, ut sensibiliter ampliùs virtutem veneni non obtineat.

Multa animalia, ut canis, rabiem incurrunt, sicut est homo, Lupus, Simia, Equus, Mulus, Asinus &c. & talis rabies in eis provenit aut à frigore intenso, sanguinem in eis congelante, aut à nimio calore humores comburente, & sic proptèr illa eorum alteratur complexio, & fiunt melancholici, succesivè verò rabidi, utputa ex cibo corrupto, & infecto, vèl ex potu, vèl quia sunt ab alio animali rabido morsa.

Cognoscitur canis rabidus à non rabido, quia solus libentèr moratur, dominum suum non cognoscit, ejus rubent oculi, & terribilis sit aspectus cum capite demisso perambulans, linguam foris tenet, & ab ejus ore saliva spumosa manat, raucève latrat &c.

Urtica morsibus canum addito sale medetur. Canis rabiosi morsui confert hominis urina illum effusa. Item ruta, menta, simpli-

ſimplicia, ſivè compoſita, cum aceto, vel melle. Malva commotiones aculeatos ictus efficacior eſt, & præcipuè ſcorpionum ad veſparum. Itèm prodeſt majorana piſtata cum aceto, & ſale; lac, ficum, vèl nuces piſtatę cùm aceto.

CAP. XLII.

De Calculoſa Paſſione.

SCiendum, generationis lapidis duas principales eſſe cauſas effectivæ, ſcilicèt caliditatem exceſſivam, & exceſſivam frigiditatem. Ubicumque igitur caliditas exceſſiva fuerit in viſcoſam materiam tempore notabili agens, ibidem calculus fieri poteſt; ſed frequentius in renibus, qui renes à natura ideo facti ſunt, ùt ſanguinem ſerum ad ſe trahant, & ut ab excremento univerſum corpus expurgent.

Item calculus frequentius fit in renibus, quia eorum exceſſiva caliditas acquoſitatis quantitatem multam ab epate trahit, & cùm in eo non debito tempore manſerit multum viſcoſitatis ſecum habet, & fit in renibus retenta, à calore ipſorum ſuperfluo lapis, ſeù calculus generatur. In veſſica autem, quamvis membrum de ſe frigidum ſit, & exangue, materia tamen ibidem diù retenta ſaltem calorem membrorum, & præcipuè ſtomachi, & epatis in lapidem convertitur. Qui proptèr diuturnam moram in veſſica fit lapis renum durior, groſſiorque magis.

Calculi ex quatuor humoribus poſſunt generari, ſcilicèt pituita, bile, melancholia, vèl ſanguine. Crebrius tamen, & frequentius ex bile mixta cum pituita, ideo ut plurimum apparent rubei, & ſubcitrini, cùm aliquali albedine, qui colores bilem, pituitamque dominari atteſtantur. Ubi pituita bili dominantur, leviores ſunt, non ita duri, neque aſperi, neque periculoſi.

Lapis materialiter nihil aliud eſt, quam arenularum coadunatio, & tandem congelatio, & poteſt fieri lapis in pluribus noſtri corporis partibus, veluti in pulmone, ſtomacho, & inteſtinis.

Viæ per quas calculi tranſeunt, ſunt vaſa ordinaria, quæ renibus conjunguntur, per quæ, & urina, & materia hæc expellitur. Poſſunt autèm hæ eſſe vel anguſtæ, vel amplæ, ſi anguſtæ, in exitu calculi interdum talis cauſatur dolor, quod facit hominem in ſyncopem incidere, & aliquando mori. Nonnunquam autem contingit, quando lapis in renibus genitus mandetur ad veſſi-

 cam

cam, in qua si moram traxerit, ob materiam continue defluentem augetur, adhæret enim illa lapidi ob viscositatem, ut tandem proptèr longam moram in vessica, insignis lapis procreetur.

Causa efficiens calculorum, est calor accidentalis, vèl naturalis existens in renibus. Nam proptèr laborem plurimum, cibaria calida, hepatis, & venarum caliditatem, concoquitur hujusmodi materia non alitèr, quam lapides infornace. Avicenna addit debilitatem virtutis expulsivæ, quæ si fortis esset, priusquam materia excoqueretur expelleret, atque ità calculorum generationem prohiberet.

Quando arenulæ in multa copia fluunt virtutis expulsivę fortitudinem, ac materiam subtilem, & obedientem ostendunt; si verò retineantur, periculum est nè statim generentur calculi. Et cùm tàm in sanguine, quam aliis in humoribus contingat adustionem sæpissimè fieri, plerumque aliqua eorum pars incineratur, & in arenulas commutatur.

Retentionis lapidis causa triplex assignatur, ùt materiæ viscositas, viarum opilatio, sivè structura, & expulsivæ debilitas.

Prò dissipatione, & disceptione calculorum prosunt succus limonum, acetum, vinum sublimatum &c. De aceto Anibalis legitur, quod ipse rupes, & moles confregerit.

In calculosa passione, cibo sumpto minuitur dolor. Quià tùnc acquositas quædam ab hepate ad vias renum demittitur, quæ eas mollificando dilatat. Et cum tùnc liberiùs calculus transeat, minuitur dolor.

Præservativa cura calculi prohibet omnia crassa, & viscosa, tam in cibo, quam in potu: veluti sunt panes azimi, caseus, animalium extremitates, & lacticinia. Materiam non permittit figi in renibus, sed etiam expellit, brodium cicerum rubeorum inter alia. Calorem intensum mitigat oleum violaceum, amagdalinum dulce &c. Comminuunt lapidem origanum, radices petrosellini, asparaci, feniculi, & similia.

Extrinsecus conveniunt omnia mollificantia, qualia sunt unguenta ex oleo amigdalino dulci, pinguedine gallinæ, butyro &c. curant lapidem etiàm bettonica, ficus, semen mèlonum &c. & assiduus sacchari rosacei usus prò renibus est salutare auxilium. Nec tamen affectibus frigidis nocet, cùm sit in omnibus qualitatibus suis temperatissimum. Ventriculum autem ab omnibus excrementis præcæteris mundum reddit, ac roborat, ipsam quoque abigit distillationem. Undè maximè probatur si quotidie mane per horam unam antè prandium de eo aliquid sumatur, & posteà lenitèr deambuletur.

CAP.

CAP. XLV.

De Matrice, Suffocatione; & Menstruis.

MAtrix est membrum à natura prò conceptione deputatum; intèr vessicam, & intestina situm, duabus cùm tunicis creatum: quarè intrinseca venosa, & extrinseca substantiæ nerveæ similis cernitur, & ab ejus intrinsecis venis congruo tempore menstrua, quæ à vulgo methaphoricè flores nuncupantur effluunt; sicùt enim floribus carentes arbores fructus non ferunt, sic non menstruantes mulieres.

Sperma mulieris menstruatæ retentum in veneni naturam mutatur, quod tamquam nocivum expellerè appetunt per coitum. Undè pluribus ex iis maximè ex assuetis ad coitum non coeuntibus suffocatio matricis accidit sepè, anhelitus quoque difficultas, syncopis, tremor cordis, aùt tale aliquid, ùt plurimæ ab hoc præfocatæ pereant. Quod si virgines fuerint barba eis nascitur, & tandem eorum formæ corrumpuntur, cumque curam non recipiunt, moriuntur.

Matricis suffocatio est ipsius versus diaphragma proptèr fumos, ac ventosos vapores in ea corruptos, ascensus, quo fit, ùt pulmone, & corde compressis prò spirituum eventatione necessaria à debita dilatatione impediuntur, cujus ex causa mulier perfocata manet, & nonnunquam suffocata periit.

Causa suffocationis matricis, multitudo est spermatis, vèl corruptio ejus, abundanti enim in ea sperma, frigidus fumus ascēdit ad diaphragma, quia diaphragma, & vulva sunt juncta etiam diaphragma est juncta cùm gula, & instrumentis vocis, undè suffocatio indè contingit.

Pro prurigine vulvæ, valent albumen ovi, oleum rosaceum, & conphora.

Suffocatio matricis non fit, quia matrix corporaliter moveatur, usque ad collum, gulam, & pulmonem, quia hoc est impossibile: sed hoc contingit, sivè accidit, quia ipsa non potens expellere vapores per partem inferiorem expellit ad superiora, & tùnc mulieres dicunt, quod habeant matricem in stomacho, & in gula &c.

Fumi putridi matricis ad caput euntes dolorem ipsius, & vertiginem

tiginem inducunt, qui si spiritibus misceantur, rationem, & intellectum perturbant omnem. Quibus ex omnibus animali virtute debilitata, pigritia, ac debilitas accidit in toto, & in cruribus, quam maximè proptèr distantiam à fonte caloris maximam, & tùnc matricem in caput devenisse mulieres non dubitant, cujus oppositum si dixeris, te medicum stolidum prædicabunt.

Cùm pauperculam suffocatam inveneris, ne sic rudeliter pereat, succutium statim adhibe. Et primum cum aceto, & sale, circa extrema fricationes aspræ fiant, deindè odoratu horribilia naribus applica. Horribilis enim odor animalem spiritum sopitum concutit, & sic virtutem motivam in eo evigilat.

Supra suffocatæ pectus phialam aqua plenam, vèl ciatum pone, & si viva fuerit agitari, & commoveri aquam oportet. Vèl ad os, aùt nares speculum bene tersum, vèl politum appones, quod si vivit, necesse est anhelitum emitti, quò fit ùt speculum inficiatur.

Ex hoc intèr cætera certissimum experimentum est.

In puellis antè decimum tertium annum sanguis menstrualis non ægreditur, quia non generatur superfluus in hac ætate. Accidit etiàm, quod fæminæ, usque ad hanc ætatem, vèl tempus egent copioso sanguine ob augmentum. Post 50. annum non fluit, quia calor tùnc ità languet, ùt sanguis exuperare nequeat. Egreditur autem secundum leges naturæ quolibet mense per tres dies, quamvis fæminę etiàm sanæ per pauciores interdum dies purgentur prò copia, & qualitate sanguinis. Calidior tenujor pauciotibus diebus effluit, e contrà frigidior, & crassior.

Quando fluxus talis erit cum tolerantia, & cum sequitur levitas, jucunditas, ac quies ex virtutis fortitudine hoc provenire nuntia. Quo in casu minime restringendus erit, si vero fluxus talis non erit cum tolerantia; nisi restringatur ad febres cholericas intensivas ducit sæpiissimè. Quod fit, quia evacuato sanguine ebullit, ac effrenitat cholera, quæ sanguini frenum existit. Cumque calor naturalis sanguine pabuletur si fluxus superfluat, calor ipse consumitur, & totius infrigidatio, ac membrorum omnium virtutis naturalis debilitatio sequitur.

Menstrua supprimuntur secundum Galenum obstructis venis, quæ ad uterum descendant, & hoc, vèl ratione caloris desiccantis, vèl ob copiam humorum crassorum. Sistuntur etiàm menses, si ad alia loca sanguis transferatur, & ex vasorum uteri compressione, cum immodicè corpus crassescit.

Si causa suppressionis menstruorum fuerit vehementissimus calor,

calor, tùnc provocare ea non licet, cùm ſat ſit ab hoc calore ſuperfluitates abſumi; Itèm nec provocanda ſunt cùm corpus potiùs reficientibus, quam evacuantibus indigeat; ſi vero cauſa fuerit materia pituitoſa: tùnc opus eſt eam evacuare craſſa attenuando, & obſtructa aperiendo cum oximelle cum aquis feniculi &c. ſi cauſa fuerit pinguedo, tùnc adhibitis reſolventibus curabitur cum exercitiis jejuniis &c.

Hic etiam nòta, quod matricis præcipitatio eſt ipſius matricis à ſuo naturali loco in alium quempiam locum deſcenſus, & digreſſio: quod contingit præcipuè proptèr humiditatem nimiam, ligamenta ipſius putrefacientem. Et intèr cauſas externas connumeratur magni ponderis elevatio, & ſuper terram gelidam, vèl pavimentum frigidum diuturna ſeſſio. Itèm internæ cauſæ ſunt menſtruorum longa retentio, quorum pondere matrix degravata, ruptis ſæpè ligamentis, in præceps deſcendit &c.

Si matrix ſurſum diaphragma verſus vergat, dolores, & gravedines ſupra umbellium ſentire maſſam rotundam in ventre tangere, & cita ſuſpiria in muliere obſervare licebit. Ad inferiora autèm ſi ſe præcipitem dederit, tùnc dolores plurimi circa renes, lumbos, & pudenda erunt, & veſſica, & rectum inteſtinum ità comprimuntur, ùt, & urinam, & excrementa difficile ſit excernere.

Naturalis menſium fluxus eſt à tertio, aùt à quarto die poſt novilunium uſque ad octavum, licet multa ſint diſcrimina ætatum complexionum, & habitudinis corporum. Non naturalis fluxus dicitur ſi dictum tempus exceſſerit.

Bilioſis proptèr caliditatem nimiam humores exiccantur, eoque menſtrua retinentur. Melancholicis autèm proptèr nimiam frigiditatem, & ſiccitatem idem contingit.

In hoc capite nota tamquam deſerviens huic tractatui, quod deſiderium eſt duplex, ſcilicèt animale, quod in concupiſcentia invenitur, & naturale ex repletione ſpermatis, quod evacuare intendit natura.

Lactuca frigida, & humida eſt, idèo tollit ſitim, & ſemen ejus fluxum ſpermatis cohibet.

CAP.

CAP. XLVI.

De Priapiſmo, Semine, & Pruritu.

PRiapiſmus ſecundum Galenum eſt penis, vèl colis prætèr voluntatem erectio, & hujuſmodi erectio virgæ invita provenit, tùm à ſpiritu, tùmà flatu, & eſt ſinè deſiderio libidinis, vèl cùm deſiderio, nobis tamen invitis.

Priapiſmus provenit, vel ob ſeminis copiam, vèl ob ejuſdem acrimoniam, vèl ob flatus, impetu quodam in illas partes erumpentes; vèl à materia flatulenta, quæ genita fuit in pene, & tunc adeſt palpitatio, & juvatur à calidis flatus diſſolventibus.

Gomorrhea eſt invita, ac præter voluntatem ſeminis excretio. Et cauſæ ſunt ſecundum Galenum, vèl ſpermatis copia, vèl ejus tenuitas, & acrimonia, vèl imbecillitas, retentricis, aut virtutis expulſivæ fortitudo. Contingere etiam poteſt á nimio coitus deſiderio, aùt à multitudine coitus, aut ejus cogitatione; quod proveniat ex multitudine ſeminis, ſigna ſunt quia ad copiam coitus, nulla corporis imbecillitas, ſivè diminutio ſequitur. Signa mordacitatis ſeminis ſunt, quia in exitu dolor percipitur, & adeſt ardor urinæ. Signa imbecillitatis retentricis, quia ſinè erectione virgæ ſemen egreditur, ſi à convulſione hoc malum proveniat, aderit erectio. Signa tenuitatis ſeminis ſunt manifeſta inſpicientibus ſperma.

Humor melancholicus, & humor crudus aptiſſimi ſunt ad generationem flatuum ratione, quorum multa fit erectio, & inflatio.

In muliere priapiſmus nihil aliud eſt, quàm immoderatus coeundi appetitus à cauſis pruritus in muliere cauſatus. Qui pruritus mulieris, & matricis ejus eſt ſtimulus quidam ſcalpellandi, ſeù confricandi locum in quo eſt, qui ab humore cholerico, ſeù aduſto in ea prætèr naturam congeſto provenit. Frigiditas per antipariſtiſim caliditatem cōcludens, ac accentrans, hoc etiam efficere poſſet. Et tandem res quęlibet non naturalis ſuperfluam caliditatem in humoribus valens inducere hoc efficere poteſt. Verùm ex confricatione humor continuè magis acuitur, & ad confricatum locum majori in quantitate confluit: undè coeundi appetitus continuè exurgit major, & ob hanc cauſam, còitu plerumque non ſatia-

satiatur, imò interdum tantùm augetur, ut virtus prosternatur.

Hippocratis est sententia, unciam seminis importune ejecti, plus afferri detrimenti, quam sanguinis quadraginta. Idque non tantum renibus, sed capiti quoque, ac membris omnibus maxime est noxium. Nam testes ùt inquit Galenus lib. 1. dè semine ex venis seminarium humorem trahunt, eo violenter per testiculos detracto, venæ ipsæ rursus à suprapositis revellunt, hæ verò ab his, quæ deinceps sitæ sunt, deinde hæ rursus à vicinis, adeo ùt omnes totius animalis partes proprio alimento evacuentur; quare nihil mirum est, si immoderato coitu utentès, imbecilliores reddantur, quod sciendum, quod si eveniat, & seminis portio melior attineat ad hepar, & minus probus ad ventriculum fit, ùt fetus meliùs formetur secundum hepar, quam secundum ventriculum &c.

Seminis fluxus vel provenit ob immodicam apertionem, vèl amplitudinem vasorum seminalium, sivè fiat ex immodico coitu, sivè ex immodico exercitio, & motu, sivè quia semen est calidus, mordax &c. sivè tale sit à jecore calidiore, sive ab assumptis acribus, & calidis, & similibus. Et si semen fit in Causa, quia copiosum, & abbundans exit semen non infectum, non juxto liquidius, non mali odoris, sinè acrimonia. Si vitium sit in qualitate, dùm calidius est, non exit citrà dolorem.

Semen generatur ex optima parte sanguinis.

CAP. XLVII.

De Conceptione, Generatione, Sterilitate, & Abortu.

Isti tres termini, conceptio, generatio embrionis, & impregnatio, synonimi sæpè sunt, proprie tamèn sumpti differunt multum. Nam conceptio est attracti ad matricem seminis in sanguinis menstrui puriori parte commistio. Embrionis verò generatio est humanæ formæ susceptio.

Impregnatio verò tantummodò mulieris ex parte se tenet. Conceptione etenim, & embrionis generatione facta, mulierem tunc, & non antè prægnantem dicimus.

In fæmina non apparent nisi duo obtrusi anguli, undè interdum separatur semen, & multiplicatur fetus.

Mas producitur dum sit conceptio in dextera matricis, &

dum mas est robustior secundùm dexterum testem, quia in parte dextera est major caliditas, & producitur semen robustius. In dextero enim latere positum est jecur, & propterea in illa parte venæ laxiores, & complectiores deducuntur. Fæmina autèm generatur in sinistro latere matricis.

Cùr autèm gemelli modo sunt mares, modò fæminæ, modo mas, & fæmina, ratio est semen. Si enim semen maris, & fæminæ sit robustum, uterque fætus erit masculus. Si amborum semen sit imbecillum, uterquę erit fæmina. Si autèm maris semen sit robustum, fæminæ imbecillum, unus erit masculus, altèr fæmina; si fæminæ semen sit robustius, fætus magis similis erit matri; si è contrà Patri.

Articulatio contingit in femella, in diebus 42. in masculo in 30. Ita Hippocrates *in lib. de natura pueri*. Quod autèm femella posteriùs conformetur, & articuletur, causa est, quia genitura feminea debilior est, ac humidior.

Si fæmina generet masculum cognoscitur à calore etiam, quia virtus caliditatis maris totum fæminæ corpus incalescit, & benè coloratum facit. Hilarior quoque est mulier, & ad omnia magis prompta. Hoc tamen signum fallax est si masculus sit imbecillis.

Sterilitas aliquando provenit ex parte viri quia frigidæ sit naturæ, & tunc suum semen est ineptum generationi, vèl quia semen ejus est aquosum, & statim à matrice fluit, non faciens ibi moram. Vèl proptèr brevitatem virgæ virilis, quia tunc semen non projicitur ad locum debitum. Vèl quia semen viri, & mulieris sunt indisposita, ac si vir melancholicus esset, & mulier phlegmatica.

Mulieres pingues non concipiunt, quia habent matricem lubricam, à qua semen receptum elabitur, nec retinetur. Vèl quia mulieres pingues habent orificium matricis valdè strictum, quod semen impedit intrare, & cùm intrat, tardè intrat, ità quod eo tempore infrigidatur, & ineptum fit generationi. Mulieres valdè calidæ raro concipiunt, quia semen extinguitur in eis, & consumitur, ac si pauca aqua ad magnū ignem funderetur. Mulieres juvenes ex vapore fulminis abortum faciunt, non antiquæ, quia corpora juvenum mulierum sunt magis porosa, & rara, sed mulieres vetulæ sunt compactę.

Moniales, vèl viduæ jejuniis curis, ac sollicitudinibus huic affectioni occurrere possunt. Cætera enim remedia, quæ semen evacuant, minimè à sacris canonibus permittentur. Molæ conceptus causa, ùt habetur ex Hippocrate, & Aristotele est caloris debi-

debilitas, cùm modico femine, atque morboſo, undè fruſtratur formatrix facultas, ob caloris defectum, ſpirituumque inopiam in ipſo ſemine, tùm modico, tùm morboſo.

Quoad ſterilitatem, & abortum ſciendum eſt, quod longitudo virgæ, ac brevitas, foraminis tortuoſitas, vulcus, & ſimilia ſterilitatis cauſa eſſe poſſunt. Nam ùt ait Avicennas ſperma ex membro quolibet defluit, & ex ſano ſanum, & ex infirmo infirmum.

In aliquibus calor naturalis eſt ità fortis, ùt totum ſuperfluum ultimi alimenti in fumum reſolvat, vèl in membrorum ſubſtantiam convertat, ſivè pilorum materiam. In quibuſdam etiam tale ſuperfluum in pinguedinem tranſmutatur. Et ob hoc ſteriles fiunt, ideò homines pingues, nullius, aùt pauciſſimi ſeminis ſunt generativi, & raro coeunt. In mulieribus verò ſterilitas accidit non minus etiam membrorum principalium, vèl nobilium vitio, quam in viris; verùm ob nimiam matricis ſtricturam, vèl amplitudinem. Undè Hippocrates. Quæcunque inquit præter naturam craſſæ non concipiunt. His enim pinguedo os matricis obturat.

Paralitica quoque matrix mulierem ſterilem efficit.

Extrinſecæ verò cauſæ tàm viris, quàm mulieribus communes ſunt. Ut nimia aeris caliditas generationis materiam reſolvens, aut frigiditas mortificans &c. His enim non aliter, quam aliis ſeminibus accidit. Nam ſi eſtus tempore aliquid ſeminare ab intenſa aeris caliditate ſeminis humiditas reſolveretur. Si tempore hiemis, aùt in locis frigidis mortificaretur. In paludoſis, & humidis ſuffocaretur, & in ſiccis areſceret.

Mulieres prægnantes citiùs ob quietem abortum patiuntur, quia proptèr hoc accidit eis mala diſpoſitio, dùm in eis multa ſuperfluitas congregatur, in laborantibus autem non ſic, quia labor multum facit evaporare de ſuperfluo.

Partus facilis erit, ſi mulier eo tempore anhelitum retinebit.

Abortus Cauſæ internæ ſunt morbi, quibus expultrix ad expellendum irritatur, ùt febris &c. Inter cauſas externas computantur cibi parvitas, vèl pravitas, dùm enim fętus alimento deſtituitur, perditur.

CAP. XLVIII.

De Ventositate, & Difficultate Urinæ.

CAusa efficiens ventositatem est caliditas diminuta. Ventositas enim generatur à calido diminuto respectu materiæ in quam agit. Frigiditas enim non movet materiam à sua natura, & sic omnimoda frigiditas non facit ventum, neque omnimoda caliditas nàm cum fortis sit resoluit, undè sicùt in fortissimis caloribus, & frigoribus non apparet ventus, ità in corpore nostro, nec in forti frigore prohibente materiæ grossæ subtiliationem, nec in forti calore proptèr resolutionem insensibilem, vapor, aut ventositas generabitur.

Et verè ventositas dicitur causari, à calore diminuto, impotente scilicèt benè digerere, & consequentèr generante multas superfluitates. Et nota, quod materia ventositatis est humor frigidus, phlegmaticus, & talis non potest in ventositatem mutari, nisi caliditate: quoniam frigiditas non subtiliat, sed ingrossat. Et quia ex uno pugillo aquæ generantur decem aeris per resolutionem, qui dilatati non possunt contineri in eodem spatio, in quo priùs; hinc sequuntur flatus, qui exeunt impetu, ut locum proportionatum inveniant.

Ventositas, si à stomaco per os expellatur sequitur eructatio. Si verò ab intestinis per anum sequitur trulla, & gravis est sonus, cùm est in loco amplo, sicut in stomacho, aùt in intestinis grossis, et est acutus, cùm est in intestinis gracilibus. Itèm aliquando est clarus, cùm ventositati non permiscetur humiditas. Et si ex opposita causa redditur non clarus. Quaproptèr claritas sonitus in intestinis significat mundificationem intestinorum, aut, exiccationem fecis.

Ventositas quæ egreditur cum voce significat proculdubio, aùt multitudinem ventositatis grossæ vaporosæ, aùt stricturam intestinorum, in quibus penetrat. Cum ergo non fuerit ventositas multa, & instrumenta, à quibus egreditur ampla; tunc exitus ventositatis est absque voce.

Urina sic dicitur quasi urens, & deficcans, sivè mordens; quando cùm urina commiscetur plurimum sanguinis, aùt choleræ, tunc redditur colorata.

Citri-

Citrinus color communitèr dicitur, qui eſt ſimilis colori citri maturi, Flavus aſſimilatur colori caſtanearum mundatarum. Croceus, qui colori zaffarani aſſimilatur. Rubeus roſeus, qui aſſimilatur roſæ rubeæ, cum tendentia ad obſcurum, & ejuſmodi eſt color, qui dicitur cremeſino. Et nota, quod ſi urina ſit alba, ſignificat frigidam, & humidam complexionem corporis, & membrorum, & ſi ſit in ſubſtantia tenuis, ſignificat ſiccam complexionem. Calidi enim eſt colorare, frigidi verò diſcolorare, humidi verò eſt ingroſſare, ſicci verò ſubtiliare.

In pueris multa ſuperfluitas phlegmatica generatur proptèr indigeſtiones, quas incurrunt ex frequenti commeſtione, quarè cùm ex ipſa maxima pars pèr urinam evacuetur, hinc videmus eos frequentiſſimè mingere, & multum.

Lotium eſt ſanguinis, aliorumque humorum aquæ à quædam colatura, & redundantia.

Avicennas vult, quod incontinentia urinæ, ut plurimum proveniat proptèr ſuperfluitatem frigoris, & mollificationem lacerti, & proptèr caliditatem plurimam attrahentem à veſſica, reſudationem à corpore.

Sicùt aqua viſcoſa ſecum trahens aerem in rotundum elevatur per ſubincluſionem aeris petentis exitum, & proptèr ipſam prohibentem ſua groſſa viſcoſitate ipſum exhalare, ità quandoin homine reperiuntur humores crudi, viſcoſi, & expelluntur per vias urinæ, ventoſitas groſſa petit exitum, & humor ſua viſcoſitate exitum talem prohibens eſt cauſa, ùt inde ampulla generetur: ſpuma enim non eſt aliud, quam multarum ampullarum aggregatio. Sed inſuper nota, quod caliditas in humoribus ebullitionem inducens, & magnam partem in vaporem convertens, eſt cauſa factivæ ſpumę, & ampullarum in illis vaporibus incluſarum.

Sanguis in urina apparens, ſi eſt ab hepate, ibi eſt dolor, & gravitas, & ſanguis eſt purus in multa quantitate, ſi à veſſica tunc eſt groſſus, quaſi fætidus, & eſt nigri coloris proptèr frigiditatem ipſius membri, & eſt paucus, quià eſt membrum pauci ſanguinis, & circà pectimen ſentitur dolor. Si eſt à lumbis, dolor ſentitur circà renes, & lumbos, & dolor, & gravitas in renibus ſentitur.

Quando ſpuma adhæret urinæ, ſignum eſt calorem eſſe diminutum, quod non poſſit materiam illam diſſolvere. Urina habens arenulas rubeas indicat aduſtionem, & excrementa per alvum nigra ſunt.

Pauca

Pauca urina fit, vèl cùm quis parum bibit, vèl ex ſiccitate, & caliditate multa, vèl ex obſtructione in vaſis urinariis.

Inter alias cauſas difficultatis urinæ, ſivè impedimenti emiſſionis urinæ, una eſt retentio urinæ longo tempore, nàm veſſica extenditur, & meatus urinæ oppilantur, & etiam quia proptèr extenſionem villi latitudinales facti debiles, non poſſunt ſe contrahere, & conſtringere veſſicam; ità, & urina expellatur. Secundo eſt vulcus, aùt ſcabies in meatu urinæ exiſtens, ex quibus natura ſentiens mordicationem, tenetur ab expulſione urinæ per meatum illum, & cùm in lacertis latitudinalibus ventris eſt paralifis, non poſſunt ſe contrahere prò urina expellenda. Si autèm in lacerto collis veſſicæ eſt paralifis, tunc fit potiùs diſtillatio urinæ, quàm difficultas. Itèm retentio urinæ fit proptèr craſſos, & viſcoſos humores collum viſſicæ obſtruentes, & impedientes tranſitum urinæ, qui tamen, & per urinam, per ventrem, per vomitum, & per ſudorem poſſunt educi. Facile eſt tamen per ſudorem evacuare, ſi congruè exerceatur.

Erodentes urinæ ſunt cauſa, ùt non poſſit retineri urina, quia ſtimulant virtutem expultricem, undè perpetuo ſequitur diſtillatio. At humiditas, quæ eſt in glandulis in collo veſſicæ, hunc uſum habet præcipuè, ùt ſuo lentore acrimoniam urinæ abundat.

Ardor urinæ ratione ſui contingit, vèl quia mordax, ſalſa, acris, & calidior in ſe fit, vèl quia addita ſit ei aliqua ſubſtantia ſalſa, vèl acris; ratione inſtrumenti contingit, vèl quia in ipſo veretro fit excoriatio aliqua, vèl vulcus, vèl exiccatio illarum humiditatum, quæ ſolent eſſe in glandibus pœnis, quæ factæ ſunt à natura, ùt humectent longitudinem pœnis, nè urina in tranſitu excoriat proptèr ſui mordacitatem. Sic etiam inteſtina veſtita ſunt pituita illa craſſa, nè mordacitas fecum, & bilis in tranſitu corroderet illa. Et quando inteſtina ipſa privantur illa humiditate, tùnc contingunt abroſiones. Sic contingit in pene, ubi proptèr exceſſum aliquem ſuperficie veneris, vèl ob aliam cauſam conſumitur hujuſmodi humiditas, areſcit meatus virgæ, & mordacitas urinæ occurrit membro immediatè, & ſic cauſat ardorem.

Et tandem urina eſt aquoſitas ſanguinis à ſanguine ſeparata, quam latini vocant lotium à lavando, lavat enim, & abſtergit, & ſecùm trahit excrementa, quæ invenit, prò qua provida natura præter renes ipſos, quibus id ſecerneret, veſſicam in imo ventris veluti ciſternam quandam ùt commodè excerneret collocavit, cujus veſſicæ proprium munus eſt, ſuſceptum lotium ſtatuto tem-

tempore continere, ac indè excernere, ùt Galenus afferit, & hujusmodi vessica interdum laborat iis affectionibus scilicèt. Stranguria, ideft urinæ stillicidio, dissuria, ideft urinę difficultate, atque ischuria, ideft urinæ retentione. Urinæ incontinentia, seù urinæ involuntaria fluxio est, quando patiens invitus ad mingendum impellitur, ob urinæ acrimoniam, ac mordacitatem. Quandò verò urina per se affluit, nobis non advertentibus, ùt interdùm dormientibus,vèl vigilantibus evenit, tùnc in causa est ipsius musculus, qui ejus cervicem ambit, absque constringit paralisis, seù resolutio. Causæ verò extrinsecæ esse possunt sessio super apides, super ferrum, ac alias res frigidas. Musculus enim afficitur proptèr infrigidantem causam, ùt de piscatore quodam Galenus narrat, qui adeò infrigidatus est circà sedem, ac vessicam, ùt ipso invito affluerent alui excrementa, & urina. Itèm nimia etiam humiditas potest esse causa musculum ipsum relaxans, ùt accidit pueris, qui sunt habitus corporis mollis.

Causæ retentionis urinæ sunt, vèl quia est defectus in expultrice virtute, vèl vitio urinæ, vèl vitio instrumenti. Expulsiva virtus debilitatur, vèl proptèr frigiditatem, vèl proptèr aliquid aliud, ùt non possit fungi proprio munere. Vitio urinæ, vèl quia non habet solitam, & debitam mordacitatem, qua stimulet virtutem expulsivam, vèl proptèr sui crassitiem &c.

Quod non liberè quis mingat potest provenire ab aliqua materia viscosa,quæ in meatu veretri,& in collo vessicæ contineatur.

Signa humoris crassi in difficultate urinæ cognoscuntur ex gravitate sensata, & pondere; signa flatuosi spiritus est tensio, sinè gravitate, quæ interdum permutatur. Signa mollificationis musculi vessicæ sunt egressiones urinæ absque voluntate. Signa expultricis facultatis læsæ sunt, si ex complessione facilis fiat urinæ eductio &c.

Provocatur urina levitèr vessicam comprimendo, vèl cùm titillatione in capite virgæ, vèl cùm fricatione in collo vessicæ propè anum, conveniunt etiam decocta feniculi, asparaci, petrosellini &c.

Aphor 19. *lib.* 7. Urinæ stillicidium,& mingendi difficultatem, seù dyssuriam vini potio, & venæ sectio solvit.

In omnibus corporis partibus est naturalis quædã vivis excretoria, qua excrementa secernuntur, naturalis dicta, eo quod voluntati non obediat, sed naturalitèr agat.

CAP.

CAP. XLIX.

De Lienteria, vèl Dissenteria, de Emorrhoidis, & egressu Ani.

Lienteria, vèl dissenteria, est fluxus cibi indigesti. Fluxibilitatis ventris, & stipticitatis causæ sunt, vèl intensa stomachi frigiditas, ratione cujus plùs assumitur de cibo, quàm immutari possit, vèl intensa caliditas appetitum prosternens.

Cùm ergo parùm cibi assumitur, venter necessario stipticatur. Vèl est expulsivæ fortitudo proptèr stomachi naturalem humiditatem: naturalis enim humiditas membris innatæ expulsivam fortificat, & debilitatur retentiva. Naturalis verò siccitas illi opposita, ventrem stipticat. Alia causa est multitudo choleræ virtutem expulsivam stimulantis &c.

Itèm Lienteria est, cùm cibus quomodò accipitur, ità emittitur, inferiùs si fit ex defectione digestivæ scitur, si cibus 4., vèl quinque horis in stomacho moretur, deindè crudus egrediatur, & sic prodest minuire cibum, & dare subtilia, & levia. Si fit ex defectione virtutis contentivæ scitur, si statim cibus, ùt accipitur emittitur, inferiùs omninò immutatus, & tùnc prosunt vitella, ova in aceto cocta, & ventosa magna umbelico admota. Si verò fit proptèr phlegma acetosum, vèl viscosum scitur per pondus, quod sentitur, & ructatus acetosos, & cùm his, quæ egeruntur phlegma abvolutum apparet.

Humiditas, quia est lubricativa ciborum, fecem sua lubricitate facile expellit, & frigitudo etiam membra exprimit, ùt fex in eis contenta, virtute suæ expressionis expulsa prosiliat.

Itèm defluxu. Quando dolor est suprà umbellicum, & egestiones sunt liquidæ, fætidissimæ, fluxus est mortalis, quia excoriatio est in visceribus gracilibus, quæ maximè dolent, & non consolidantur. Sed quando viscera grossa inferiora excoriantur, eorum dolor est sub pectine, & egestiones sunt magis densæ &c.

Hemoroidis est apertio illius venæ, quæ est in ano, undè sanguis effluit proptèr acutos, & pungitivos humores qui causant, & fit pruritus in natibus, & dolor, & tenesmus. Si in natibus sint fissuræ, & arsuræ, prosunt oleum rosatum, & albumen ovi. Ità hemmorroides sunt quinque venulę exiſtẽtes in ano per quas solet fluxus fieri.

Fluit

Fluit alvus in febribus occasione humorum ad intestina transmissorum, & potissimum quando acres, & mordaces fuerint, & stiptieatur, & adstringitur in febribus exiccatis fibris intestinorum ab ardore febrili. Itèm pituita cibum, & potum extrà ventriculum, & intestina lubricare facit. Item flatus quoque non sinens stomacho cibum inhærere, undè putrefit, & expellitur, & sic sequitur lienteria.

Vulcus est continuitatis solutio cùm sanie. Galenus docet, quod unitatis solutio in osse fractura dicitur in carnosa parte vulcus.

Vulceribus, & apostematibus non est aliquid magis congruum, quàm quies.

Signa vulcerum in lienteria sunt vomitus saniei, plus redolens dolor &c.

Signa apostematis sunt tumor, durities, gravitas, assiduus dolor &c.

Signa flatus sunt cùm sentitur flatuosus motus, & dolor, qui modo unam, modo alteram stomachi partem molestat, si crepitum, vèl ructum emittant.

Itèm dissenteria est intestinorum vulceratio, cùm decoriatione intestini, cholera acuta, & humores acri, non sinè ipsorum, & alvi morsu, atque cruciatu, & signa ipsius sunt dolor ventris, punctio, & frequens assellatio, in qua frustra intestinorum cernuntur. Signa vulceris sunt sanies exiens, & fœtidus odor &c.

Locus vulceris signanter cognoscitur ex corticibus intestinorum exeuntibus. Nàm tenues, & pauci ex gracilibus, crassi verò, & lati ex crassis intestinis descendunt.

Itèm, & ex qualitate ejus, quod egreditur. Nàm à superioribus proveniens est magis fætidum.

Signa dissenteriæ à cholera, & vulcere, sunt mordicatio, & dolori n stomacho, & sitis.

A' phlegmate, si quod egreditur per anum est viscosum, cum parva inflammatione, & pauca siti.

Excrementa emittuntur dura, & nigra ex nimio calore hepatis. Fluida, & alba ex indigestione, & debilitate stomachi.

Fluxus chilosus provenit proptèr nocumentum hepatis. Undè quando egreditur res subtilis, aquosa, & alba, est chilus. Interdùm etiam accidit proptèr calorem intùs vehementèr inclusum potentem scilicèt pinguedinem eliquefacere.

Necessitas surgendi frequentèr ad asellandum, signum est debilitatis expulsivæ, parùm enim egreditùr pro vice.

proprie pró tumore scilicèt, & inflatione venarum sedis, cùm dolore etiam: ultimo magis propriè, & nihil aliud significat, nisi fluxum sanguinis ab ipsis venis sedis.

Ex hemorroidis quædam cecæ, quædam verò apertę dicuntur. Cæcæ quę omni tempore tument, & nihil excernunt. Apertę, quę pró tempore sanguinem effudunt.

Intèr externas causas hemorroidum sunt super rem duram sessio, multum exercitium, violenta æquitatio, cibi, & potus melancholicus succum generantes, dimissio consueti exercitii, & conatus maximè, qui tùm in febribus excernendis, tùm in partu fieri solent. Internæ autem causæ sunt, magna succi melancholici copia, qui, vèl ab hepate, vèl à liene ad ipsas sedis venas deponitur, vèl à toto corpore demandatur.

In circuitu ani à vena chili, venæ quoque ortum habentes terminantur. Cumque natura feciali sanguine gravatam se sentit per harum venarum, seù alicujus ipsarum aperitionem eum emittens, se exonerat sæpè. Venæ hemorroides dictæ sunt ab hemorrogia græcæ, quod in latinum fluxus sanguinis sonat. Et ob hanc causam venæ omnes, per quas natura fecialem sanguinem emittit, hemorroides nuncupantur. Undè tàm nasi, quàm matricis venas, per quas sanguis effluit, hemorroides vocamus.

Super hemorroidales venas ani excrescentiæ diversarum formarum, ùt mori, ficus, uvę &c. nascuntur sępè, quas etiam emorro hides appellare consuevimus. Et sic hemorroidis nomen ęquivocatur, quia quandoque venas, quandoque excrescentias illas importat.

Tenasmon est intestini recti passio, in qua cùm intensa assellandi delectatione egerendi voluntas frequens adest, & maximo cùm conatu parùm aùt nihil, aùt materia pauca muccosa, cùm dolore circà anum, & anchas difficilitèr emittitur, quæ interdum paucis sanguinis guttis est admixta.

Anus in tenasmone, & in dissenteria, cùm sæpiùs egrediatur ipsius causa extrinseca, & intrinseca esse potest. Extrinseca est omne potens rectum, & musculos ani circulum obstruentes, lapsos, seù paraliticos efficere, ùt est casus, vèl percussio, musculos ipsos, seù nervos disrumpens super refrigida sessio, balneum item mollificans, egerendi nimius conatus, laboriosum exercitium, & similia. Causa intrinseca esse potest apostema, quod sua ponderositate, ac grossitia, anum ingredi non permittit. Humor quoque salsus, & acutus, lubricus, itèm humor musculos relaxans, ani egressionem sæpè causat.

Fluxus hemorroidorum, quod hic anteà erat, antea notandum secundum Galenum fit, vèl ratione vasorum, quia magis dilatantur, vèl quia dilatantur orificia ipsorum vasorum, vèl fit vitio sanguinis, quia plurimus fit, vèl quià nimis tenuis, vèl acris, itaùt excitet virtutem expulsivam, vèl nimis fervens; itaùt faciat intumescere venas. Vèl fit ratione membrorū mandantium, quorum virtus sit potens in expellendo, vèl quià imbecillis sit virtus recipientium.

CAP. L.

De Hydropisi, & Tumoribus.

Hydropisis est abscessus quidam, qui in qualibet parte corporis accidere potest, præcipuè tamèn in abdomine.

Itèm hydropisis, quæ à modernis tympania vocatur, quia quasi tympanum resonat venter percussus, est passio ex frigiditate epatis generata, quia virtus epatis cibos non concoquit, nec in sanguinis substantiam convertit. Itèm hydropisis est tumor ventris productus ab intemperie frigida jecoris, cujus causa est materia exuberans frigida stomacho etenim, & jecore frigida intemperię laborantibus, fieri non potest, ùt cibus ingestus in benignum sanguinem mutetur: undè convertitur in materiam flatulentam; quæ cùm neque per superiora ructu, neque per inferiora crepitu, nec aliundè obstante viarum obstructione, vèl expultrici superfluitatum vi debili existente expelletur, in locis ventris colligitur, & tympani modò crepitum elidit.

Corruptæ materiæ in stomacho nauseam, vomitum, ac appetitum corruptùm inducunt. Et si ad tibias, pedesque descendunt, eos mirum in modum tumefaciunt.

Galenus inquit imminui calorem jecoris interdùm à causa extrinseca, puta à potione aquæ frigidæ. Et interdùm à febribus, quæ calorem dissolvunt, & interdúm ob immodicas evacuationes, quæ corpus refrigerant.

Vomitus, & subversio sunt motus stomachi, dum fundus ipsius stomachi ad superiora vertitur, ad expellendum ex eo, quod est in ipso per viam oris, & hoc ex nausea.

Secundum Galenū omnes vomere colores exitiale admodum est.

Jecoris obstructio, est angustia jecoris producta ab humore replentę ipsius meatus, & cùm vicinæ partes ob tumorem jecoris compri-

comprimuntur, aliqua oritur respirandi difficultas. Et qui hoc patitur, maximè conqueritur se non posse scalas ascendere.

Evacuationes superfluæ per sudorem, urinam, solutionem ventris, per emorrohides &c. paucificando calorem innatum debilitant hepar, & faciunt ejus digestivam errare. In hydropisi tamen exiccandus est sudor medicamentis quæ extrinsecus admoventur, & potissimum balneis, quæ conficiuntur ex herbis calefacientibus, & aqua calida: vix enim homines restitui possunt, nisi sudent.

Intèr alia signa hydropisis est sitis infausta, quia humor retentus est salsus, & putrefactus. Signum distinguens hydropem à prægnante est, qui ab umbelico infra pregnantis venter extenditur, in hydrope verò infrà, & supra.

Tumores in corpore nostro generantur, & fiunt ex aliquo quatuor humorum, vèl ex flatu, vèl ex increscente carne. Et sanguine bono, & simpliciore in locum aliquem collocato inflammatio generatur. Ex bili, vèl bilioso sanguine, erysipilas: à pituita, vèl pituoso, serosoque sanguine laxus quidam tumor, quemadmodum à bile nigra, vèl sanguine melancholico durus tumor, qualis est scyrrus, & id genus aliud.

Tumores, qui fiunt à sanguine, dicuntur variole, qui verò à bile, morbilli, ab attrabile, carbones.

Variolæ sunt pustulæ, sivè vesicæ parvæ rotundæ ex materia sanguinea putrefacta in venis, & morbilli sunt pustulæ ex materia sanguinea cholerica, vèl cùm cholera. vinum in hac infirmitate nocet, quia magis inflammat, carnes debent prò cibis parari coctæ cùm lactucis, cùm agresta, & cùm acetositate citri, vèl arancii.

Raucedini, & suffocationi causatis ex variolis, & morbillis, si corpus satis evacuatum fuerit, prosunt ea, quæ repellendi vim habent, ùt aqua ordei cùm syruppo rosato. Obliniendi exasperatũ guttur, & facilem expulsionem præstant syruppus violarum, granatorum dulcium, de prunis Damascenis cùm saccharo. Si fluxio ad nares dilabatur, omni arte crustas emollire curabis, nè prohibita respiratione exulcerari contingat. Fitque id oleo amigdularum dulcium, vèl melonum, & similium. Si verò in os, palatum, & linguam, aùt gingivas variolæ, aùt morbilli tanto numero prorumpant, quod alicujus partis exulcerationem, vèl corruptionem vereamur, succo granatorum acrium, cùm aqua plantaginis repellere curabis. Verùm si fluxium impedire volueris, caliditatem compesces, quod fit aqua hordei cùm saccharo, vèl syruppo rosaceo.

CAP. LI.

De Humorum Generatione, & Causis.

Corporis jàm constituti substantia continuo fluori obnoxia diù substineri non poterat, nisi similis materiæ affluxu resarciretur, cui muneri humores sunt accommodati, qui ùt sunt fluxibiles, ita per quosdam canales in corpus universum facile diffunduntur, ùt ex qua primum substantia conflatum est eadem servetur, & nutriatur. Author Galenus *lib.* 1. de semine capite ultimo, sunt enim humores quatuor humanæ generationis, materia, quia ex his duo principia constituuntur, ex *lib.* 2. de elementis; Ità humores, (quorum nomine quidquid in corpore fluit, & liquidum est comprehenditur) alii sunt connati, alii postgeniti ex Aristotile *lib.* 2. *cap.* 7. *de part. Animal.* connati vocantur, ex quibus prima fit conformatio ex *com. ad Part. in* 40. *lib.* 1. *de natur. human.* Posgeniti verò, qui in corpore jàm constituto cumulantur, quorum alii sunt Alibiles, alii excrementitii. Illi sunt, sanguis sincerus, pituita, bilis, & succus melancholicus, sanguis dulcis saporis est, qui nutrit, hīc dulcia amica vitæ, ùt adnotavimus in nostris floribus medicinæ theoricæ, pituita insipida est, bilis amara, melancholicus succus acidus; finis denique istorum humorum est nutritio. Nàm si corpus hominis ex semine, & sanguine mestruo, quatuor complexis humoribus constituitur, iisdem posteà alitur, seù variæ sint partes quatuor distinctæ substantiæ, quæ invicem permistæ vim alendi sortiuntur, simplices minimè. Sunt autèm venæ, & arteriæ distribuendorum humorum canales, & propria conceptacula, in quibus exacius elaborantur, partim à calore nunquam feriente, partim illapsa à jecore, facultate, atque ita conservantur; ùt neque concrescant, neque corrumpantur, quamdiù à natura victrice reguntur.

CAP. LII.

De Morborum Differentiis.

A Galeno *cap.* 1. *de sympt. differ.*, & 2. *meth.* triplex differentia constituitur eorum affectuum, quibus naturalis corporis status evertitur, nimirum morbus, causa, & symptoma. Quorum

trium

trium generali explicatione continetur pethologia; quæ est illa medicinæ pars, circà res preternaturales sunt omnia corpori nocentia, ùt denuò morbus morbi causa, & sympthoma Morbus est repetinius, cōstitutio præternaturalis, seù functio læsa. Causa est omne id, quod morbum producit. Sympthoma est morbus, morbum sequens, sivè morbi effectus corpori inconveniens.

Morbi sunt, vèl essentiales, vèl accidentales, essentiales derivantur ab ipsa morbi essentia, sivè ab iis, sinè quibus morbus nec esse, nec excogitari potest illa sunt 1. pars affecta 2. conditio, secundum quam sit.

Morbi accidentales sunt triples, familiares, organici, & solutæ unitatis.

CAP. LIII.

De Signis Prognosticis.

Cum artis medicæ dignitas, & perfectio in tribus consistat ex *com. ad part.* 1. *lib.* 1. diagnosi, prognosi, & therapeja, hæc quidem per sè à medico exercetur; illæ verò proptèr curationem ex *com. ad partes* 3. *lib.* 1. *Acut.* quam ob causam Hippocrates in proemio Prognost. præsagiis diligentèr incumbendum esse monet, quod ab omni mortis culpa medicum reddant immunem, & ægros ad obtemperandum faciles, occasionemque remediorum præmostrent. Neque enim eà tantum ad victus rationem instituendam, sed etiam ad arcendos morborum impetus mirificè conducunt. Prænotionis itaque præsidio medicus salutares morbos tutò aggreditur, deploratis verò manum non adhibet, sed abscedit cùm prognosi, tùm ùt medicamentorum, & artis authoritatem conservet; tùm nè mortis author videatur, ex consilio Hippocratis *lib. de arte*; veruntamen nihil temere comprobandum, aut contemnendum, cum ex Hippocrate *parte* 51. *sect.* 2. *lib.* 1. *Epid.* tria sint, quæ medicam artem perficiant, eger, morbus, & medicus artis minister naturæ adjutor, & emulus, hìc totam præsagiendæ salutis, aut mortis rationem colligit, ex collatione virium ægrotantis, cùm morbo, ùt docet *Gal. com. ad prognos.* 6. *lib.* 2. si modo ægrotus suum fecerit officium, suum quoque assidentes, & exteriora ritè sint comparat ex *Aph.* 1. *l.* 1. Ad id tamèn preficiendum, aliquod veluti testibus instruitur, ùt ex hoc tetrastico licet colligere.

Judex est Medicus, Reus est Ægrotus, Amici
Actores: adsunt plures hoc ordine testes.

Mor-

Mira Pharmaca ad diù Vitam Prolungandam.

De Potu Caphè.

NAscitur Caphè in Arabia Fælici, in illis vastis Agris, absque cultura, & est leguminis peregrini species magnitudini nostrarum fabarum, ob quædam accidentia correspondens. Antequam in pulverem redigatur, Latini *Buncum* appellant, Galli Bon, & in pulverem redactum Caphè, cavè &c.

Antiquus apùd Arabes, & Turcas est potus, & tàm divites, quam pauperes singulis matutinis diebus antè Caphè potum aliquid cibi assumunt, persuasi id stomaco jejuno sumptum in bilem mutare, ipsum arrodere, & ad exinanitionem, usque debilitare, membra, gravedine afficere, appetitum soluere ansietate moerore, & impatientia animum cumulare, tandem totum corpus dejicere. Hinc est quod antè tabernas Caphè reperiuntur tabernæ vendentes panes antopticios, quos potaturi manducandos emunt experientia edocti, illud hac cautione sumptum salubriùs esse. Arabes, & Turcæ, non solum in privatis domibus Caphè potant, verùm etiàm in Tabernis Caphè generatim singulis horis se conferunt ad hanc potionem sumendam, & de variis rebus confabulando, majorem diei partem transigunt. At nùnc multis ab hinc annis Caphè potus apùd Europeos invaluit. Nàm non est dives, neque pauper, qui eo non utatur.

Hinc Neapoli magna hominum pars tabernas Caphè frequentant, ac Romæ hujus potionis sapor debet esse aliquantulum amarus, alioquin sua careret virtute. Aliqui, quorum Palatum est delicatius, Caphè amaritudinem, saccharo ad jucunditatem injecto, mitigant, sèd beneficas qualitates minuunt, & solam caliditatem relinquunt. Non solùm Caphè potio est medicamentosa, sèd etiàm succum alibilem continet, qui adeo spiritus reficit, & nutritioni plurimum confert.

His, qui graciles, aùt siccæ constitutionis, & calidæ interdicitur, quià nimis exiccat.

De

De Potione Herbæ Thè.

ADmirandæ, & ferè omnigenæ virtutis est usus herbæ Thè, quæ chinentibus dicitur *Thee*, Japponensibus, ùt & Indis *Cha*, Tartaris, & Parthis Tay, vèl Tzay, & tandèm Æuropeis The, quo non solùm universum Chinæ Imperium, sed, & India Tartaria, Thabeth, Morgor, & omnes orientales plagæ incolæ utuntur, non semel in die tùm jejuno stomaco, tùm immediatè pòst prandium, sèd quoties ipsis libuerit. Europeis quoque nunc familiaris, & usitatus est potus. Moderatè itaque Thè cerebrum siccat, purgat, memoriam firmat, & mentem purificat. Putant Chinenses hanc plantam sibi à Cælo donatam esse ad vitam prorogandam ad extremum vitæ senium.

De Potione Chocolatæ.

POst tractatum de Caphè potu,& de Thè, non alienum à re de Chocolatæ potione, cum ejus invaluerit usus aliquid differere dijudicamus. Est enim Chocolata Cæli ros. Astrorum sudor, vitale semen, Panacea, & universalis medicina, ab ultimis Americæ regionibus, cujus solum Mexicum hujus seminis; ferax est. ad Hyspanos vecta, apud quos.ità invaluit usus, ùt eà carere maximè paupertatis indicium putetur, ab his ad Parthenopæos transfretavit, quibus intèr deliciarum illecebras, palati oblectamentum, gulæ irritamentum, & sanitatis solatium habetur. Prætereà ob maximum nutrimentum, quod córpori suppeditat, exaustas corporis vires reparat,præcipuè cùm ovi vitello in aliquot juris carnium cochlearibus dissoluta. Est insigne medicamentum stomathicum. Quidam Chocolatam nivè congelatam adversus aeris æstum sumunt, quæ quidem voluptati potius, quàm valetudini consulit; verùm pro alimento, & sanitate hanc potionem ebibunt calidam, imò calidissimam, & ferventem quantum tollerari potest sorbilare tenentur; hac tamen Cautione, nè linguam, & palatum ustulet, sunt qui antè ejus potionem, aquæ frigidæ austum deglutiunt ad epatis refrigerium, aùt biscottella in Chocolata intingunt, & comedunt, sèd eam solitariam ex cucuma extractam potare præstat, absque aliorum consortio, & hoc modò sumpta est universalis medicina, non modò ad sanitatem tuendam, sed ad multos actuales morbos profligandos; ac propterèa naturalem roborat calorem, sanguinem puriorem generat, cordis substantiam

etiam vivificat; maximum est nutrimentum, & una medicamentum, & à multis morbis præservat, & curat, Virilitatem auget, Canitiem retardat, vitam ad senium usque producit. omnes qui hoc indico nectare utuntur, firma fruuntur valitudine; senibus, & decrepitis maximè proficuum est, quia vitam prolungat.

Initium hujus mei acris studii, obstinatique Laboris in commune omnium miserorum mortalium bonum faciebam. In Alma mea Urbe XVIII. Septembris MDCCXII.

FINIS.

Pondera quibus Medici hodie utuntur hæc sunt.

℞. Recipe

℔. Libra

Q. aut 4. quartarius, seu quadrans

℥. Uncia

ʒ. Drachma

℈. Scrupulus ij

gr. aut Granum ij

ß. Pars dimidia istorum ponderum

Vox ana usurpatur, quæ cujusque Partes æquales designat

Libra Medicinalis Romana est, quæ pendet Uncias duodecim, Civilis vero est Unciarum sexdecim, Uncia autem, quæ Pars Libræ duodecima est constat ʒ. VIII., Drachma pendet ℈ III. & est octava pars Unciæ, Scrupulus tertia pars Drachmæ pendet grana xx. apud Veteres grana 24. Obulus nunc etiam est Semiscrupulus, Granum autem est minimum seminis Hordei, aut Tritici, præstet ea tamen quæ sunt periculosa non notis aut numeris, sed literis extensis exprimere ne Eger in Mortem exitium adigatur.

